



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Instrvctiones Ad Fori Archiepiscopalis Reformandi Vsvm Pertinentes.  
Illustrissimi & Reuerendiß. Cardinalis tituli S. Praxedis Archiepiscopi iussu  
editae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11399**

neralis, si quem in ea conuentus regionu habet, sapissimè præsens adsit.

Si quid verò erit, quod his congregatio num legibus addendum, aut fortasse demendum, aut aliqua potiori ratione agendum Episcopus censuerit, prout è diocesis suæ ratione vsuque esse viderit, id ei liceat.

Si qui denique alij, quicunque sint, sacerdotum, clericorumve, qui aliquando conuenire solent ad societates quæ disciplinæ ecclesiasticæ causâ vsquam habentur, ij in omnes partes, quoad eius fieri potest, iisdem decretis, regulis, & legibus conformentur & dirigantur, quæ hoc ipso libro editæ continentur.

**CONCESSIO INDVIGENTIAE** celebrantibus, & conuenientibus ad Missam congregationum foraneorum.

**GREGORIVS PAPA XIII.**

**V**niuersis Christi fidelibus presentes literas inspecturis, salutem & Apostolicam benedictionem. Ad augendam fidelium religionem, & animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intèti, omnibus & singulis Sacerdotibus Prouinciæ Mediolanensis, qui Missam congregationis, quæ quolibet mense à Sacerdotibus foraneis ad præscriptum Decreti Prouincialis Mediolanensis habetur, celebrauerint; necnon omnibus Christi fidelibus, qui dictæ Missæ interfuerint; vnum annum de iniunctis eis, seu alias, quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Præsentibus perpetuò valituris. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris Die decimo Aprilis M. D. LXXX. Pontificatus nostri anno octauo.

Cæf. Glorierius.

**INSTRVCTIONES  
AD FORI ARCHIEPISCOPALIS  
REFORMANDI VSVM  
PERTINENTES.**

*Illustrissimi & Reuerendiss. Cardinalis tituli S. Praxedis  
Archiepiscopi iussu editæ.*

**COMMVNIA PLVRIBVS** Vicarijs, & Iudicibus, & alijs Officialibus.

huius regiminis, quod Conciliaribus, & alijs propriis constitutionibus, decretis, & instructionibus tam variis & multiplicibus nititur.

Rursus multum refert, vt hæc officia exerceant, non quasi mercenariorum more aliquando maius emolumentum alibi quæsituri, aut iam iam in alias partes ad libitum recessuri: sed potius ita affecti erga hanc ecclesiam, ecclesiasticosq; in ea labores, vt in hac ipsa varietate officiorum, & salutarium occupationum huius vniuersæ administrationis perpetuò versari optent; ac sperent, modò vnum, modò aliud munus implendo, se ad salutem progressumq; cleri & populi huius ciuitatis ac diocesis peruenturos, & sic-

Lucri auidi non sint.

Quales esse debeant officiales.



**Q**uibus præcipua munera in huius Ecclesiæ regimine sustinenda sunt, eos tamen magis liberos esse oportet ab omni intemperata animi affectione, vnde tot mala sæpè extant in omni administratione; tum etiam aliis occupationibus expeditos, quò liberius toti incumbant muneri suscepto, vt dignitas huius ecclesiæ, & negotiorum eius multiplicitas valde postulant; tum præterea necessarium est diutius versari in hac ecclesia, vt norint plenius rationes

- Aliunde oriundi.** & meritum cœlesse sibi cumulatuos. Quamobrem Vicarium, & Visitatores generales, Vicarios etiam civilium, & criminalium causarum, tum etiam monialium aliunde oriundos esse expedit, quam ex Ciuitate, vel Diœcesi, vbi id fieri potest; eosque nullum beneficium possidere, quo vllò residentie personalis in choro munerè adstricti sint.
- Ex cōgregatione Oblatorum eligendi.** Pluris etiam refert, eos, & alios omnes huius Ecclesie ministros in omni munere, esse ex ijs, qui ex congregatione Oblatorum Sancti Ambrosij sese perpetuo obsequio, & ministerio, ac obedientie Archiepiscoporum pro tempore huius Ecclesie obtulerunt, & addixerunt. Sint saltem Clerici.
- Saceris initiati.** Generalis verò Vicarius, & Visitatores (si potest) sint Sacerdotes.
- Officia non ambient.** Nemo quoduis præfecturæ, aut iudicandi officium in foro Archiepiscopali ambiat, aut id donis muneribusve cuiusvis generis cuiquã datis vel promissis assequi, vel obtinere quoquo modo audeat.
- Iuramentum præstent.** Nemo officium sibi ab Archiepiscopo demandatum exercere incipiat, antequam in manibus eiusdem iuxta formam, his Decretis præscriptam, iuramentum præstiterit.
- In quibus rebus se non immisceat.** Nemo Vicarius, etiam Generalis, aut Visitator, aliisque quicumque sit, in ijs capitibus infra descriptis se immisceat contra præscriptum. Hæc infra præscripta capita Archiepiscopi solum auctoritati reseruata sint; nisi ipse sigillatim & nominatim quidquam alicui ex ijs concesserit. Qua in re nulla clausula generalis, aliaue eiusmodi literarum patetium sui officii suffragetur.
- Hinc interpretandi non.** Decreta interpretationis decretorum, tam Prouincialium quam Diœcesanorum, & edictorum, item aliarum quorumcunque reformationum ad Tribunal & eius taxas spectantium. Taxæ præfinitio in omnibus illis clausulis, in quibus expressa præfinitio non inuenitur in tabella edita, vel edenda, aut aliàs his uel aliis decretis reformatiõis. Deputatio Vicariorum quorumcunque, etiam Foraneorum, Præfectorum, Visitatorum, Cancellariorum, Notariorum subditorum, & scriptorum.
- Dispensationes quæcunque in decretis visitationis Apostolicæ, & Prouincialibus, & Diœcesanis, & aliis editis, & ordinat ionibus Archiepiscopaliibus. Facultates omnes, quæ ad Archiepiscopum spectant, literarum Apostolicarum, etiam occasione absolutionis in foro conscientie. Interpositio auctoritatis ordinariæ, de erectiue eo nomine, in alienationibus bonorũ ecclesiasticorum, aut piorum locorũ. Monialium vestitus; ad professionem admissio, & relatio. Concessio, & renouatio, confirmatioe facultatis ingrediendi Monialium septa, clausuramque, quacunque causa, & quibuscunque personis. Admissio, receptioe ad primum ingressum, aut ad stabilimentum clericorum aliorũve in congregationem Oblatorum Sancti Ambrosij, necnon remotio, & dimissio. Itidem de receptione, & dimissione clericorum Seminariorum. Electio, & comprobatio, & confirmatio Sacerdotum, ad clerici, & monialium, & puerorũ Collegiũ Sanctæ Mariæ confessiones audiendas. Regimen totum Congregationis Oblatorum Sancti Ambrosij. Prouisiones quorumcunque beneficiorum, etiam iuris patronatus Laicorum. Admissio resignationum beneficiorum, & permutationum. Vniones, diuisiones, annexiones, & separationes, suppressionesque beneficiorum quorumcunque; aut etiam viarum, & castellarum, ædiumve, ac familiarum à suis Parochiis. Cõcessio, & confirmatio facultatis, prorogatione, in ijs quæ proximè describi Audiendi confessiones. (buntur. Concionandi. Missas celebrandi. Exercendi curam animarum. Absentie à Diœcesi, vel etiam in Diœcesi à beneficio residentiam requirentis. Habitandi in domo laicali. Locandi domos ecclesiasticas laicis. Retinendi mulieres in domo. Aliarum denique rerum, quæ ex prouincialibus, vel diœcesanis, aliisque editis Archiepiscopaliibus Archiepiscopi facultas

facultatem postulant; si modò ad disciplinam morum Cleri populive, vel rituum ecclesiasticorum spectant.

Liceat tamen Vicario Generali, Visitatoribus, & Præfectis generalibus, & Præfectis etiam, Visitatoribusve regionum Urbis, & Diocesis, in regione sibi sigillatim commissa eiusmodi facultates dare ad duos menses; non autem longiori spatio, etiam alio quouis prorogationis, & confirmationis nomine.

Rursus illi omnes meminerint, parè sibi utendum esse hæc facultate; scilicet in Ciuitate, absente Archiepiscopo; extra Ciuitatem verò, in actu eorum visitationis, vel saltem ex vrgenti causâ, quæ eorum iudicio relinquatur.

Libri causarum indicem habeant.

Vnusquisque Vicarius, siue Iudex etiam appellationum, promotor etiam Fisci, indicem habeat librum; in quo describat omnes causas, quas in dies coram eo institui, aut iam institutas progressionem habere contigerit, eiusve cura promoueri; cum expressione loci, tituli causæ, & actoris, & rei, & anni, mensis, & diei, quibus initium fiat vnicuique causæ.

Eodem libro in singulos dies scribat summam, quæ aguntur in illis causis; ut putà, contestationes litis, articulos datos, testes examinatos, publicationem testium factam, & reliqua eiusmodi; ut possit facilius procedere ad eorum expeditio nem.

Summarium literarum faciant.

Vnusquisque Vicarius, & Visitator, & Præfectus, summarium faciat literarum quas recepit, ad officium suum pertinentes; describens à tergo saltem capitula rerum.

Aliorum officii non attingant.

Nullus Vicarius, etiam Foraneus, Visitator, Promotor Fisci, Auditor, Familiarisve commensalis Archiepiscopi suscipiat, agatve, aut ab ijs, qui in eorum familia seruitio sunt, suscipi, vel agi patiatur, causarum in hoc, aliove quocunque foro, tutelam, defensionem, procuracionemve, siue nomine, siue re ipsa, præter illas, quæ ex officij sui ratione in hoc foro incumbant illis; neque rursus officium notariatus apud se exerceri patiantur.

Nemo item eorum causas quascunque commendet iudicibus; nisi quibus ex

officio, vel Visitatoris, vel Præfecti, vel Promotoris, vel huiusmodi incumbat promouere causarum expeditio nem, præsertim miserabilium personarum.

Nec verò patiantur hoc officium præstari per suos famulos, familiaresve.

Neque rursus patiatur, eorum famulos, seu scribas, quidquam ab vilo, quouis nomine occasioneve, literarum etiam priuatarum quas ratione officij scribit, recipere, etiam spontè oblatum.

Nihil accipiant.

Ne à Cancellario, eiusve Notarijs substitutis, aut Procuratoribus, vel Advocatis, quidquam, quamuis minimum, quocunque prætextu nomineve percipiant.

Nec verò etiam ab alijs cuiuscunque conditionis, qui causam, vel negotium in hoc foro aliquo tempore habere possint, aliquod genus muneris etiam esculenti recipiant.

Hæc verò omnia, & singula supra decreta præscribimus sub pœnis, & multis arbitrato Archiepiscopi.

Ne quis, vel Procurator, vel Notarius, aut scriptor fori Archiepiscopalis, in edibus Archiepiscopalibus arma ferat.

Procuratores, & Notarij Arma non ferant. Verba turpia vel iniuriosa non profert.

Ne item verba turpia, vel iniurias in aliquem proferat; tantò minus coram Reuerendis Archiepiscopo, aut eius Vicarijs, sub pœna suspensionis ab officio, ac alijs etiam pecuniarijs, arbitrio Vicarij Archiepiscopalis imponendis.

Ne item quisquam alius, etiã ex litigantibus, audeat coram Vicarijs, & in loco audientia, vel Cancellaria verba iniuriarum, ac quouis modo turpia proferre, sub pœna arbitrio, ut supra.

Si quis, vel Procurator, vel alius quicunque, etiam ex litigantibus, per se, vel per alios, cum armis, cultello, seu temporeno, aut quouis alio instrumento aliquem vulnerauerit, percusseritve, etiam sine sanguinis effusione, vel euagationis ensibus, armis, seu cultellis rixam fecerit coram Vicarijs nostris, vel in locis Audientia, aut Cancellaria; pœnam incurrat quinquaginta aureorum locis pijs assignandorum, & grauiorem pro ratione culpæ arbitrio Iudicis.

Ne quæquam percuciant.

Et præterea si Notarius, aut scriptor, sit priuatus in perpetuum ipso iure

Dd ab exer-

ab exercitio Notariatus, & Procuratoris in foro Archiepiscopali; ac etiã contra eos agatur vltterius iuxta conditionem criminis, & sacrorum canonum, ac legum sanctiones.

**Congregaciones habentur quæ, & quando.**

Habeantur perpetuò congregationes, vt infra, tum Sacræ Inquisitionis, tum Pœnitentiariæ, tum consultationis causarum, tum visitatorum, tum Seminarij, tum rituum, & cęremoniarum ecclesiasticarum, & alius literariæ, alteriusve generis.

Congregatio sacræ Inquisitionis celebratur quotiescunque opus erit; alię vero singulæ semel tantum in hebdomada, vt infra.

Item fiat de congregationibus disciplinæ, rituum, cęremoniarum ecclesiasticarum, aliarumve rerum, quæ ad diuinum cultum pertinent.

Pœnitentiariæ, feria secunda: hyeme post vespers; æstate autem in vespers.

Consultationis causarum, feria tertia post prandium.

Visitatorum, feria quinta post vespers.

Seminarij, feria tertia mane post diuinam peracta.

Piarum causarum, & carceratorum, feria secunda.

**Congregat. quo loco habentur.**

Locus his singulis congregationibus sit certus assignatus in edibus Archiepiscopalis propè cubiculum Reuerendissimi Archiepiscopi; præterquam consultationis causarum, quæ habeatur in cubiculo Audientiæ Vicarij generalis.

**Qui præsent in congregat.**

Congregationi Sacræ Inquisitionis præsent Archiepiscopus, & eo absente Vicarius Generalis, cum eoque Reuer. Inquisitor.

In reliquis vero congregationibus idem Archiepiscopus, vel Vicarius generalis.

At vero illis impeditis, ipse Canonicus Ordinarius Pœnitentiarius in pœnitentiariæ; in consultatione causarum, alter ex visitatoribus generalibus, vel demum vnus ex Vicarijs, civilis, vel criminalis, ordine supra constituto.

In cęteris vero congregationibus præsentus eius congregationis ab Archiepiscopo constitutus præsideat.

**Qui intersint congregat.**

Congregationi Inquisitionis intersint Archiepiscopales Vicarij civiles, & cri-

minales, Theologus Cathedralis, tum alij Theologi, & Canonistæ ab Archiepiscopo, & Reuerendo Inquisitore adscripti huic congregationi; Senator etiã Regius assistat, & post eum iurisperiti laici consultores congregationis; Aduocati etiam, & Procuratores, seu Promotores Fisci, tum Archiepiscopalis, tum Sancti officij apud Inquisitores.

Cęremoniarum, ac rituum, & rerum huiusmodi congregationi, aliqui ex canonicis Cathedralis, Magister Cęremoniarum, & alij arbitrio Archiepiscopi. Pœnitentiariæ, præter Pœnitentiarium, adscripti sint Archiepiscopi libero arbitrio, tum Theologus Cathedralis, tum alij tres Theologi ex clero sæculari, vel etiam aliqui ex clero Regulari, & sex canonum Doctores.

Inter hos autem duo sint, alter Theologia, alter Canonum Doctor insignis; quorum præcipuè consilium adhibeat Pœnitentiarius in consultationibus frequentioribus, & in deliberationibus capiendis in ipsa congregatione.

Congregationi visitatorum intersint visitatores omnes tam Diœcesis quam Urbis; tum alij, quos ei congregationi Archiepiscopus adscripserit.

Congregationi consultationis causarum intersint, præter Vicarium generalem, Visitatores generales, Vicarij civilium, & criminalium causarum, Protector piarum causarum, Protector item carceratorum, Aduocati, & Procuratores pauperum, ac sollicitator, tum Aduocatus, & Procuratores Fisci, Cancellarius, eiusve substitutus, tum Auditores Archiepiscopi, tum denique alij iurisperiti ecclesiastici, quos ei congregationi Archiepiscopus adscripserit.

Seminarij Congregationi intersint constituti ex Decreto Concilij Tridentini, pro ratione materiæ de qua agendum est.

In his quæ ad mores pertinent, delecti pro moribus.

In temporali administratione, electi pro rebus temporalibus; tum præter alios, Rectores Seminarij vtriusque, & aliorum etiam, si plura in vrbe Seminaria esse contingeret.

Tum etiam, qui ministri aliquando vocandi

zandi erunt pro negotijs tractandis.

Piarum causarum, & carceratorum congregationi præsit Præfectus, vel carceratorum, vel piarum causarum, vt vnus altero digniorem locum habebit in capitulo Metropolitanæ ecclesiæ; interfit vterque eorum; tum Aduocati pauperum.

Ordo sedendi in congregationibus.

In congregatione sacre Inquisitionis, à dextris ecclesiastici, primò Vicarij, tum Theologi, tum Canonistæ; ita vt, qui ex clero seculari sunt, primùm locum obtineant.

A sinistris verò Senator Regius, tum iurisperiti Consultores iuxta cuiuscunq; ipsorum dignitates prerogatiuas.

In alijs verò, à dextra eius, qui præsit, sint ecclesiastici seculares, à sinistra regulares; vel à dextra Theologi, & à sinistra canonistæ; vel denique à dextra, qui ecclesiastici sunt, à sinistra verò laici, si eos adesse contigerit; ita tamen, vt digniorem locum obtineant post Vicarium generalem visitatores generales, ac inter eos is, cui præcipuè cura ciuitatis commissa est; tum Vicarius ciuiliū, & item Vicarius criminalium causarum, qui superiori loco sedeant, vel posteriori, vt vnus altero in officio antiquior est; nisi pro conditione personarum aliquando Archiepiscopus aliter iusserit.

Post Vicarios ciuilem, & criminalem se deant quicunq; inter sunt ex dignitatem obtinentibus, & ex canonicis, seu ordinarijs Metropolitanæ, deinde reliqui iuxta gradus eorum dignitatis.

Preces initio, & in fine Cogite recitanda.

Antequam incipiatur Congregatio, recitentur preces ad implorandum diuinum auxilium; in fine item aliæ preces de more ad præscriptam formam à Præsidente ipsius congregationis cæteris adiuuantibus.

Res tractanda ad singulos mittende.

Res in congregationibus tractandæ cura Præfecti à Cancellario in superiori proxima congregatione, vel (nisi aliud necessitas tulerit) triduo saltem ante tractationem illam habendam tradantur, seu transmittantur suo ordine ad singulos eos, qui consultationi illi in teresse debent.

Et si in vna congregatione ob difficultatem non poterit res decidi, in aliam

differatur deliberatio.

Nunquam intermittantur hæ congregationes, nisi cum dies festus ex præcepto cadit; quo casu indicetur alia dies à Præfecto congregationis in superiori proxima congregatione: exceptis congregationibus pro sancto officio, & illis quæ spectant ad diuinum cultum, & pœnitentiariam; eas enim si opus erit, etiam diebus festis celebrari aliquando licebit.

Quando in terminandis.

Habeantur verò hæ omnes congregationes etiam extraordinariè sæpius in hebdomada, vt opus erit, iudicio vel Præfecti particularis cuique congregationi, vel Vicarij generalis.

In congregatione pro sancto officio nihil prorsus tractandum erit, nisi de pertinentibus ad fidem.

Res tractanda in singulis congregationibus.

In congregatione Pœnitentiariæ, ea solum quæ ad pœnitentiam, & ad forum conscientia spectant.

In congregatione consultationis causarum proponantur & discutiantur Iudicis arbitrio grauiora dubia in infra scriptis materijs.

Primò, vbi controuersa est de admissione vel probatione iurispatronatus.

Secundò, vbi agitur de nullitate vel validitate Matrimonij, aut de separatione thori.

Tertiò, in causis quæ directè spectant ad iurisdictionem Archiepiscopalem; aut aliâ ecclesiasticam; aut denique violationem ecclesiasticæ libertatis & immunitatis.

Quartò, in causis criminalibus, vbi agitur de pena corpori infligenda à relegatione supra, siue clerici, siue laici.

Tum aliæ singulæ causæ, dubiæ in causis ordinarijs, de quibus Archiepiscopus vel Vicarius, vel eo absente Visitator generalis, ob partium querelam, aliamve causam ibi consulendum iusserit.

Tum denique alia dubia in materia legum & canonum in dies suborta, in quibus aliquis ex Vicarijs, vel Visitatoribus, Iudicibusve eius congregationis consultationem desiderat, ac postulat.

In omni hac causarum consultatione nihil detractum sit Iudicis auctoritati, quominus liberè causam decidat, prout

D d 2 sibi

sibi de iure videbitur, sed vota omnia consultiua tantum sint.

In illis legatur index causarum pendendum in criminalibus singulis hebdomadis: in civilibus vero singulis quindecim diebus.

Quæ vero pendent aliunde ex causa appellationum, singulis mensibus; & rursus quæ pertinent ad Mensam Archiepiscopalem, singulis mensibus.

Acta cōgregat in librū referenda.

Describantur vero in tot libris, quot genera congregationum sunt, earum singularum acta à Cancellario, eiusve substituto.

Quod si nemo illorum aliquando intererit, tunc qui præest congregationi, aut eius iussu alius ex his, qui interfunt, describat in folio, quod postea quamprimum tradat Cancellario, ut in libros suos ipse referat.

Forma autem describendi sit hæc.

Initio libri ponantur nomina eorum, qui interesse debent: tum vniuscuiusque congregationis dies quo habita est; tum qui interfuerunt.

Dubia proposita.

Resolutio post singula; cum votis singulorum, & rationibus præcipuis.

#### DE OFFICIO VICARII Generalis.

Vicarius Generalis, tam in spiritualibus, quam in temporalibus liberam habeat administrationem in tota Ciuitate, & Diocesi; necnon, & in Prouincia, in ijs quæ ad Archiepiscopale officium quomodolibet spectant; ijs exceptis, quæ supra Archiepiscopo soli reseruata sunt; & alias, prout in eius Vicariatus instrumento, seu literis patentibus declarabitur.

Curæ illi sit executio Sacrorum Canonum, & literarum omnium, & constitutionum Summorum Pontificum, & Concilij Tridentini, tum Conciliorum Prouincialium, & Diocesanoꝝ, Visitationis quoque Apostolicæ, & edictorum generalium, que decretorum, ac ordinationum etiam singularium, præsertim visitationis Archiepiscopi, vel vicarioꝝ, taxarum quoque, & huiusmodi.

Idque in clero, & in populo, & in Visita-

toribus etiam Generalibus, & in Vicarijs etiam Foraneis, Iudicibus, Præfatis, Cancellario, & eius substitutis, & scriptoribus, Procuratoribus, ac reliquis fori ministris; quibus omnibus superuigilet diligenter.

Nec patiatur intermitteri suis temporibus promulgationes literarum Pontificiarum, conciliorumque, decretorum, & edictorum Archiepiscopaliū, & huiusmodi generalium functionum, quominus præscriptis temporibus fiant.

Caueat vero maximè, nè rescribat, aut agat quidquam contra eas; earumve decreta; neque in Prouincialibus, vel Diocesanis, alijsve Archiepiscopaliū functionibus dispenset sine Archiepiscopi præcipuè facultate, vel mandato; neque rursus manum apponat ijs, quæ Tridentinum Concilium, aut Prouincialia per solum Episcopum præstari posse decreuerunt, nisi ex sedis Apostolicæ auctoritate data, speciatim Archiepiscopi mandatum habuerit.

Conuocet congregationes, etiam extraordinarias cum opus erit.

Ne intermitti patiatur lectiones, & studiorum clericaliū exercitationes, neque verò orationem vespertinam, stas processiones antiquas, vel à nobis constitutas, restitutasve, alia denique huiusmodi instituta quomodocunque pertinentia ad disciplinam cleri, populivæ.

Affiduis incumbat audiendis, & expediendis ijs, qui in Ciuitate, vel Diocesi quotidie ad eum conueniunt pro negotijs ad munus eius pertinentibus; tum omni celeritate, ut opus est, respondeat literis Visitatorum, Vicarioꝝ Foraneorum, & Parochorum Diocesans; eoque, ad sæpissimè scribendum de rebus suæ curæ commissis, frequenter excitet suis etiam literis.

Ut autem ipse liberior sit ad alia multiplicia quotidiana muneris sui negotia, ea que grauiora peragenda, studeat sibi quantum minus fieri potest assumere, vel auocare causas, quæ suos habent, vel habere possunt iudices ordinarios; sed eas ab eisdem iudicibus cognoscendas, vel decidendas quantum citius fieri potest, sedulo procurat: causas etiam delegatas, nisi grauiores sint, per alios

Vica-

Vicarios potius cognosci, vel decidi audeat.

Alios Vicarios, & Iudices, ac etiam Promotores Fisci, Visitatores quoq; & Prefectos, modò vniuersos, modò singulos ad se vocet aliquando, ac ab eis diligenter inquirat de eorum causis, & negotijs, præsertim grauioribus, & difficilioribus, vt opus esse censuerit.

Si quæ ecclesiæ collegiatæ, aut Monialium monasteria, eorumve (si Regularibus subiecta sint) clausuræ, aut si quæ pia loca, præsertim insigniora in Ciuitate ab Archiepiscopo ipso singulis annis visitata non erunt, vel ab eius generali visitatore, & piorum locorum rationes ab illis recognitæ; ne omittat ipse visitare, & rationes etiam à pijs locis per se, vel per alios ad id constitutos ab Archiepiscopo ad præscriptum

Sess. 22. dee. de foro. c. 9.

Concilij Tridentini exigere semel saltem in anno.

Quæ verò in Diocesi sunt, vt cum illis idem præstetur ab ijs, quibus id muneris Archiepiscopus dederit, summo perè curet.

Circa carceratos diligenter præstet, quæ suo loco in his decretis, & in Concilijs Prouincialibus de illis præscribuntur; eaque vt diligenter præstentur ab alijs ad quos spectat, præter visitationem generalem singulis mensibus constitutis, sæpius ipse ex improviso visitet carceres, & carceratos singulos inquirat diligenter, ac prouideat, vt in spiritali, & corporali cura illorum, ac illorum etiam causæ, nemo illis, aut suo muneris desit.

Non se immisceat sub quouis pretextu in aliquo ex reseruatjs soli Archiepiscopo, nisi ex speciali delegatione.

Nihil statuatur de iure patronatus in vllum beneficium, admittendo, probando, nisi habita prius notitia à Cancellario Archiepiscopali, & vocato Fisci Promotore pro defensione libertatis, beneficiorum, & iurisdictionis Archiepiscopalis.

In fabricis, & reparationibus ecclesiarum circa materias, si quid vel de nouo statuendum, vel immutandum, non deliberet, nisi factò verbo cum Archiepiscopo, vel audito Prefecto ab illo fa-

bricis ecclesiarum.

Si verò de prorogatione aliqua longioris termini assignati agitur, audiat prius Visitatorem generalem, si adest, vel etiam visitatorem, & Prefectum sigillatim eius regionis.

Non immutet statuta à Visitatoribus nisi factò verbo cum Archiepiscopo, vel ipsis auditis; id maximè caueat in relaxatione sequestrorum ab illis factorum.

Illud idem facere curet in rebus Seminarij, in quibus vsupra audiat illius Prefectum.

Quod etiam seruare studeat in quibuscunque alijs, quibus Prefectus specialis ab Archiepiscopo constitutus est, nisi temporis angustia, vel rei modicitas aliquando aliud postulet.

In absolutionibus in foro conscientie remittat ad Pœnitentiarum in ijs omnibus, in quibus ille facultatem habet ab Archiepiscopo.

Adfistat quantum potest examini ordinariorum, & prouidendorum de beneficijs, vbi non sit præsens Archiepiscopus.

In separationibus Thori, & declarationibus nullitatis, vel inualiditatis matrimonij, faciat verbum cum Archiepiscopo, si adsit, antequàm rem totam decernat; alioqui conferat cum congregatione consultationis causarum.

Non remittat denunciations Matrimoniorum præsentate Archiepiscopo; eo autem absente ne faciat nisi ex rationabili causa, iuxta dispositionem sacri Concilij Tridentini.

Eidem curæ sit conseruatio, ac defensio Iurisdictionis, & immunitatis ecclesiasticæ, ac inter alia protectio ecclesiasticarum personarum, & monialium, & piorum locorum, cum deportari in Ciuitatem contigerit ecclesiasticos fructus, vel ad eorum vsum fructus, & ad victum necessaria, suppellectiles, & alia, nè vexentur à publicanis, & eiusmodi contra immunitatem ecclesiasticam, testimoniaque propterea, vt opus erit, ac mandata, & inhibitiones super eo Publicanis, & alijs faciat, vt iuris erit.



## DE VISITATORIBVS.

**C**Vra Pastoralis hoc à nobis de-  
scit, vt ad Animarum, quas pro sua  
diuina misericordia is fidei nostræ con-  
credi voluit, salutem procurandam, om-  
nia paternæ sollicitudinis officia exequa-  
mur sanctè in primis, & diligenter.  
In ijs sanè officijs, quæ permulta qui-  
dem illa sunt plena laborum, pleraque  
vigiliarum, vnum est etiam porrò mul-  
tis nominibus Gregi à pastoribus debi-  
tum, & pascendis curandisque anima-  
bus necessarium, Visitatio scilicet; Quæ  
spiritus sancti doctrina salutariter in-  
stitutam, sacra œcumenica Tridenti-  
na Synodus ab vniuersis, & singulis quo-  
rum interest, ita accuratè præstari san-  
ciuit, vt propriam quique diocesi-  
m per seipsos, aut si legitime impedi-  
ti sunt, per alios, si quotannis totam  
propter eius latitudinem visitare non  
poterunt, saltem maiorem eius par-  
tem visitent; sic tamen, vt tota bien-  
nio per se, vel per visitatores com-  
pleatur.  
Animaduertimus autem non posse per  
seipsum Archiepiscopum solum huius  
diocesis totius, quæ longè lateque pa-  
ret, Visitationem ad constitutum bien-  
nij tempus ex Tridentino præscripto  
plenè absoluere; tum præterea concilij  
Prouincialibus, & Synodis diocesi-  
sanis, & Visitatione item Apostolica,  
quam Reuerendiss. Episcopus Fama-  
gustanus in Vrbe diocesi que prouiden-  
tissimè executus est; & instructionibus  
præterea pro temporum ratione vario  
de genere editis, multa sanè quidem de  
creta esse, vel de clerici vita, vel de diui-  
norum officiorum cultu, vel de functio-  
num ecclesiasticarum religiosa diligen-  
tia, vel de ecclesiarum ornatu, vel de  
earum instauratione, vel de ecclesiasti-  
cæ suppellestilis apparatu, vel de po-  
puli disciplina, vel de omni denique in  
Christiana spiritualisque vitæ officijs  
progressu vtiliter confecta: quæ sanè,  
vt perpetuam executionem habeant, per-  
petuam multorum Archiepiscopi coo-  
peratorum diligentiam, & curam adhi-  
bendam esse cognouimus, præter Ar-  
chiepiscopi, ac vnius etiam Visitato-

Sess. 24. de  
cret. de re-  
for. c. 3.

ris generalis officium.  
Itaque ea inita est à nobis deliberatio,  
vt quò diligentius, & visitatio vniuersa  
absoluatur, & in executionis vsum per-  
petuò salutaria decreta inducantur; ec-  
clesiastici aliquot homines, spectata  
morum probitate, prudentia, doctrina,  
disciplinæque ecclesiasticæ vsu periti de-  
ligerentur, quibus tum visitandi, tum  
nem executionem procurandi promo-  
uendive munus committeretur.

De numero, & officio Visitorum.

**D**vo igitur Præfecti, & Visitatores  
generales ab Archiepiscopo con-  
stituuntur ad biennium.  
Liberumque sit Archiepiscopo, confirma-  
re, seu prorogare officium semel, & plu-  
ries arbitrio suo.

Visitatores  
generales  
quot eorum  
que munit.

Eorum iurisdicctio, & auctoritas ad om-  
nia tam ciuitatis, quàm diocesis loca,  
omnesque personas, quouis etiã dignita-  
tis, & honoris gradu illustres pertineat.  
Potestatis facultatisque literæ patentes  
fidem faciant, quæ vtrique indistinctè  
competat, siue visitationibus incumbat,  
siue non: ita tamen, vt quedam  
ampliores facultates illis competant,  
cum reipsa visitant loca diocesis, quàm  
cum in vrbe etiam in visitatione sunt,  
vbi facilis est omnibus recursus ad Mi-  
nistros alios constitutos, scilicet Vica-  
riunt generalem, & ciuilium, vel crimi-  
narium causarum, tum etiam ad Pœni-  
tentiarum, & Archiepiscopum in casi-  
bus conscientie.

At verò, vt suscepto oneri plenius com-  
modiusque satisfaciant, alter ciuitatis,  
alter diocesis visitationibus præcipuam  
curam habeat.

Is, cui ciuitatis visitanda prouincia da-  
ta erit, visitet quotannis collegiatis ec-  
clesias in primis, & loca pia insigniora,  
ab eisque rationes administrationis exi-  
gat ad præscriptum Concil. Trident.  
tum verò hoc idem officium præstet er-  
ga reliquas ecclesias, scholas, & pia lo-  
ca; illis tamen exceptis, quæcumque ip-  
se Archiepiscopus, vel Vicarius gene-  
ralis eodem anno visitarit, aut visitan-  
da reseruarit.

Qui verò diocesi dabit operam, si pro-  
pter locorum interualla integram ne-  
quiuerit,

Sess. 24. de  
de refor.  
cap. 9.

quiuerit, at maiorem eius partem visitare ita procurabit, vt omnino ante exitum biennij curriculum vniuersa diocesis loca ipsemet visitarit.

Præsent congregationi hebdomadaria, ac alijs extraordinarijs Visitacionibus absente Archiepiscopo, & Vicario generali: idque officium sit maxime eius, qui ciuitatis visitationi præerit.

In Visitacionis, & Præfecturæ suæ munere ea omnia officia præsent, regulasque seruent, quæ infra Visitatoribus communitè præscribimus, eò diligentius, quòd ipsis vniuersè ea cura demandatur; alijs vt plurimum elaborandum erit in certis, vel ciuitatis, vel diocesis regionibus.

Eam ob causam erunt eorum visitationes, præsertim diocesanæ, aliquantò magis compendiarie quam aliorum visitatorum.

*Alij visitatores inferiores, eorumque munus.*  
Sint verò duodecim alij Præfecti, & visitatores ad biennium constituti, confirmandi, vt supra pro libera voluntate Archiepiscopi: quorum sex singulis partibus Ciuitatis, seu regionibus, alij sex singulis sex partibus diocesis Præfecti, & Visitatores constituti sint, vt infra.

*Primæ regionis Præposituræ capita.*  
Soma.

Arifagum.  
Mezana.  
Galaratum.  
Frassinatum,  
Corbetta.  
Parabiagura.  
Rosatum.  
Casoratam.  
Decimum.  
Rhaudum.  
Trenum.  
Cesatum.

*Secundæ regionis Præposituræ capita.*  
Vallis Leuentinæ.

Vallis Blenij.  
Vallis Riperiarum.  
Vallis Capriaſca.  
Porletia.  
Canobium.  
Vallis Traualia.

Legiodunum.  
Besutium.  
Angleria.

Arona sola. **Oppidum cum cura.**  
Tertiæ regionis Præposituræ capita

plebium septem.  
Arcifatium.  
Varisium.  
Applanum.  
Castrum Seprium.  
Olgiatum Olonæ.  
Dairagum.  
Neruianum.

*Quartæ regionis Præposituræ capita.*  
plebium 8.

Gallianum.  
Marlianum.  
Alliatum.  
Seuesum.  
Desum.  
Modoetia.  
Bolatum.  
Bruzzanum.

*Quintæ regionis Præposituræ capita.*  
plebium, 11. præterea Parochia vna separata.

Dersum.  
Bellanum.  
Perleidum.

Varena, cura sola.  
Vallis Saxina.

Leucum.  
Olginatum.  
Brippium.  
Assum.  
Vglonum.  
Incinum.  
Massalia.

*Sextæ regionis Præposituræ capita.*  
pleb. nouem, præterea tres Vicariatus.

Vicomercatum.  
Triuiliū.

Sforzatica.  
Vaprium.  
Gorgonzola.

Meltium.  
Septala.  
Chignolum.

Melegnanum.  
Sancti Iuliani.  
Locatum.

S. Donati.  
Segratum.

Metropoli-  
tanz visit.  
ad que per-  
tinet.

Veruntamen ecclesia ipsa Metropoli-  
tanz Archiepiscopi, vel Vicarij gene-  
ralis, vel Visitatorum generalium, aut  
eius quem Archiepiscopus nominatim  
ad id delegarit, visitationi, & præfectu-  
ræ sit reservata: excepto, quod quod ad  
curam sanctæ Teclæ, & alia ad id perti-  
nentia commissa Præfesto, & visitatori  
portæ orientalis; quò verò ad ecclesia-  
sticas personas curæ illius visitatori cõ-  
missa censeatur, in cuius Porta quæque  
illarum habitat.

Singulorum  
visitatorum  
inferiorum  
munus, &  
iurisdictio.

Singuli potissimum incumbant ad-  
ministrationsi sibi sigillatim, ac nomina-  
tim commissæ, siue visitando, siue etiã  
extra visitationem: eorum tamen facul-  
tas visitandi se extendat etiam ad alias  
partes omnes tum civitatis, tum diocæ-  
sis; vt cum vsu venit Archiepiscopo, vel  
ob impedimentum alicuius eorum, vel  
ob aliam causam, per alium visitatio-  
nem aliquam obire extra regionem il-  
li sigillatim attributam, nulla mora sit  
sine aliarum literarum expeditione, &  
necessitate.

Horum etiam visitatorum, & Præfesto-  
rum in suo munere Iurisdictio comple-  
ctatur omnes personas, vt dictum est su-  
pra de visitatoribus, ad præscriptum li-  
terarum singulis concedendarum.

Ijs Visitatoribus, & Præfests, quibus  
potissimum Regionum Diocæsis certa  
cura commissa est, dentur quædam am-  
pliores facultates in Regione illa, præ-  
sertim in foro conscientie, quo tempo-  
re visitationem obeunt: que minus ne-  
cessariæ sunt vrbis Reg. visitatibus, quo-  
niam ibi facilis est aditus Vicariorum,  
& Pœnitentiarij, & Archiepiscopi pro  
ratione cuiusque indigentie.

Præter annuas visitationes, quas in om-  
nibus locis sibi commissis integrè obi-  
bunt, adhibito Notario, vel scriptore,  
qui Clericus sit, si haberi potest, sæpius  
per annum, tum ecclesias, tum domos  
clericales, tum in hospitalibus Pau-  
perum curam, & tractationem impro-  
visò visitabunt, & in Civitate, & in  
Diocæsi.

In Civitate frequentes adhist, modò  
vnus modò alius lectionibus communi-  
bus Cleri, tam in Archiepiscopatu,  
quàm in Collegio Braidæ, scilicet de

câsibus conscientie, de explicatione  
Euangelij, & eiusmodi.

Tum etiam verò singuli quàm sæpissi-  
mè possunt, lectionibus suarum quisque  
Portarum Regionumve præfint.

Præfint congregationi Parochorù me-  
struæ suæ quisque Regionis.

In Diocæsi adhist sæpè congregati-  
bus foraneis, etiam ex improviso.

Congregatio generalis omnium visita-  
torum habeatur coram Reuerendis. Ar-  
chiepiscopo per plures dies continuos,  
vt opus erit, ter in anno statutis tempo-  
ribus, scilicet post Epiphaniam, ante  
Statam congregationem generalem Vi-  
cariorù Foraneorum, in octava Paschæ  
Resurrectionis Domini N. Iesu Chri-  
sti, In octava item corporis Domini.  
Conueniant præterea simul sæpius, vt ius-  
serit Archiepiscopus.

In illis congregationibus Archiepisco-  
po referant, eumq; consulant de difficul-  
tatibus, & dubijs grauioribus occuren-  
tibus in eorum officio.

Conferant inter sese diligenter, vt om-  
nes eadem ratione, & præscriptis regu-  
lis conformiter munus suum obeant, de-  
cretaque exequantur: quod magnam  
facilitatem asserre solet omni execu-  
tioni.

Conueniant semper omnes ad congre-  
gationes generales Vicariorum For-  
aneorum quascunque, tum ordinarias,  
quas quomodocunque in Civitate ha-  
beant.

Cum Mediolani sunt, etiam ij quibus  
visitatio Diocæsis præcipuè commissa  
est, conueniant tamen semper congre-  
gat. hebdomadar. visitationum.

Ne visitent vlla de causa nisi vrgentissi-  
ma loca Diocæsis à Natiuitate Domi-  
ni vsq; ad cõgregationem Vicariorum  
Foraneorum ante septuagesimam habè-  
dam: sed tunc incumbant preparationi  
visitacionum anni ineuntis.

Sic etiã intermittant visitationes omni-  
no per octo dies ante, & post Pascha Re-  
surrectionis; & rursus à festo Ascensio-  
nis vsq; ad octauã Corporis Christi.

In visitatione seruent exactè instructio-  
nes editas in Concil. Trident. & Pro-  
uincialibus, præsertim primo, & quar-  
to: tum præterea quæ infra descriptæ  
sunt,

sunt, aut in dies ab Archiepiscopo ad-  
dentur.

Adhibeant sibi ad vsum visitationis, vt  
opus fuerit, prerogatorium propediem  
edendum cura nostra: in quo summatim  
descriptæ sint omnes sanctiones Conci-  
liorum Triden. & Prouincialium, & Die-  
cesanorum, necnon & instructionum hu-  
ius ecclesiæ præsertim de fabrica & sup-  
pellectili Ecclesiæ; quò diligentius incu-  
bant eorum plenæ executioni.

Quæ potissimum cura visitatoris præ-  
standa sunt.

De fabrica, & suppellectili ecclesia-  
stica generatim.

**T**ollantur fenestæ super altaribus,  
vbi potest; si non potest, provideat-  
ur periculis.

Item lateralis rectæ altaribus.

Adhibeantur clathræ ferreæ fenestris,  
præsertim parochialibus.

Item vitro, & rete æreo, vel tela ma-  
niantur.

Capellis præsertim maioribus fornix  
fiat.

Accommodetur omnino spatium inter  
altare maius & cancellos.

De altari extruendo, vndiq; obturatis  
foraminibus, eiusq; bradellæ mensura,  
septis, integumento, fenestella, tintinna-  
bulo, clauis pro biretto, coronice scabel-  
li altaris, telari, tela cerata si consecra-  
tum sit, aut aliàs tabulato super mensa  
non consecrata, ac de Pallio, tobaleis,  
cruce, tabella secretorum, ac reliquo ne-  
cessario apparatu, executio decreti dice-  
ces. 4. decre. 25. & Visitationis apostoli-  
cæ; scilicet demolitionis, vbi cautio  
non detur accommodandi ad formam  
instructionum.

Septem secundum in capellis amplis.

Tollantur gradus super altari, qui sint  
contra instructiones.

Præparentur mensæ consecrandæ in al-  
taribus maioribus Parochialium; id-  
que ante visitationem nostram cuiusq;  
loci.

Tollantur altaria, quæ sunt in loco Ba-  
ptisterij construendi.

Item quæ nimium vicina altari maiori,  
vel inter se.

Capellæ minores mensura constituta,  
aut tollantur, aut aptentur.

Accommodentur ad formam; tum ca-  
pellæ, tum gradus earum, & altarium, &  
altitudo pavimenti quantum potest, vt  
vt inter se respondeant.

Accommodentur gradus vbique, vt sint  
impares.

Porticus, aut vestibulum, saltem Paro-  
chialibus ecclesijs, quâ primû poterit.

Pavimentum ecclesiæ non ex lateribus  
deinceps.

Amoueantur omnino loca superiora ec-  
clesijs, vbi profana seruentur, vel dor-  
miatur, vel habitetur.

Tabulatum diuisionis ecclesiarum fiat  
saltem in parochijs.

Accommodatio oratoriorum vbi non  
celebratur, omnino, vel demolitio.

Vt nulla ornamenta, nullæ picturæ intus  
vel foris profanæ sint.

Emendatio errorum in sacris imagini-  
bus, earumque ornatu, ex Concil. Prouinc.  
1. titulo, Quæ seruanda in sacris  
imaginibus.

Requisitio à Rectoribus ecclesiarum pro  
emendatione.

Tractatio cum pictoribus, & artificibus  
in posterum, vt non nisi probatas ima-  
gines sacras efficiant, ex eodem Prouinc.  
1. tit. Quæ seruanda in sacris imaginib<sup>9</sup>.

Campanilia accommodentur, vt ascen-  
di possint.

Item crux in summitate eorum.

Funes campanarum accommodentur.

Duæ saltem campanæ Parochialibus, si  
potest.

De bonis fabricæ in propriû & vtiliore  
vsum erogandis. Pro. 2. tit. 3. d. 18.

Sigillatim subito exequenda.

**A**ltarium demolitio, vbi faciêda est.

Altarium portatilium contractio,  
si non ad mensuram.

Sepulcrorum quæ extant, amotio.

Sepulcrorum obstructio, si loco prohi-  
bito.

Amotio bradellarum & sedilium ab ec-  
clesia, & huiusmodi impedimentorum.

Item profanarum suppellectilium, aut  
rerum.

Item

Item locorum superiorum, ubi dormitur, vel habitatur, vel profana seruantur.

Dilaniatio corporalium, & purificatoriorum, rerum indecentium ratione mensurae, vel sordium, quae purgari non possunt.

Profanatio calicum & patenarum indecentium.

Clauis & obstructio portarum laterali-um.

Dilaniatio Missalium, & Breuiariorum, & Tobalarum, & superpelliceorum, ac sacrorum indumentorum, quae in illa Ecclesia toleranda non videntur.

Amotio arborum, vitiu, stipitum, & huiusmodi in coemeterijs, & locis sacris.

Item ramorum incisio, qui obsunt parietibus vel tectis ecclesiae.

Quibus aliquod spatium dari potest; non tamen ultra duos menses in ciuitate, & tres in dioecesi.

**A**ltarium reconcinnatio ad mensuram.

Item bradellarum altarium.

Coopercula altaribus, si fiant vel ex ligno vel ex tela.

Tela ad tegenda altaria.

Telare altari adhibendum.

Septa altarium, quae cancellis ligneis fieri concessum erit. (ve

Tecta altariu lignea, aut ex tela, serico-

Fenestella pro vrceolis.

Tintinnabulum, siue campanula ad vsum Missae.

Cruces singulis altaribus adhibendae.

Candelabra item.

Bacilula, & Vrceoli.

Tobalez, & pallia, Planetae, & sacrae vestes pro vsu altarium ad praescriptum

Visitationum pro ratione suppellectilis omnino necessariae.

Confessionalia.

Tapetum, vel clathra, ubi sacerdos induitur in sacrario.

Antiportae sacristijs ecclesiarum collegiatarum, & Parochialium.

Lauacrum in sacristia.

Tabulata diuisoria marium a foeminis in ecclesijs curatis.

Vasa aquae sanctae.

Tres portae in facie ecclesiae.

Quibus spatium dari potest vsque ad sex menses.

**B**aptisterium cum suo sacrario.

Cancelli altaribus ex marmore, vel ferro, facta cautione.

Abacus, siue Armarium pro sacris vestibus seruandis, & omni sacro apparatu.

Septum coemeteriorum ex muro.

Secunda pixis, ubi tantum est vna.

Quibus aliud spatio arbitrio visitatoris, pro ratione magnitudinis impensarum, & reddituum ecclesiae ac populi, ac aliorum quae praestari debent, vel aliorum fructuum huiusmodi impense attributorum, dari potest.

**L**igneum tabernaculum, ubi non est, vel ubi etiam sit, sed incongruum, maiestati ecclesiae, & nobilitati loci.

Sacella, siue cappellae, & altaria, quae cessum erit exstrui, vel remanere.

Locus honorificus pro reliquijs.

Reliquarium.

Sacrarium in cappella maiori, vel sacristia, aut prope.

Pauimentum ecclesiae.

Contignatio laqueata, quae dicitur soffitta, seu fornix ecclesiae.

Thuribulum & nauicella ex argento, ubi fieri potest.

Tobalez, Pallia, Planetae, & sacrae vestes, pro ornatu & vsu altarium, & ministrorum, ad praescriptum instructionum

pro ratione suppellectilis plenae.

Tecta altaribus ex marmore, aut ex alio opere honorifico.

Reliqua item ex instructionibus.

Loca, & formae pro fabrica materiali, in dicio Visitatorum & Praefectorum

statuenda & exequenda.

**A**ltaris maioris locus, & item chorij, & Cancellorum illius.

Reliquiarum, & item sacrorum oleorum.

Baptisterij situs, ac Sacrarij vicini.

Iudicium de septo ferreo, vel ligneo, altaribus, & Baptisterijs ex visitatione

Apostolica, & instructionibus.

Item de altero sacrario penes altare maius, vel sacristiam.

Item de sacro oleo infirmorum Promou-  
cial. 3

V. A. 14. 16.

4. 14. &amp; 16.

467. 55.

Instr. fabric.

71.

Pag. 91. 1. 2.

c. 1. 3.

cial. 3. de ſacram. Diceſ. 4. decr. 19. vbi conceden. ſeruari aliquando domi; & tunc deſignatio loci ad formam inſtr.

Altarium etiam, & capellarum, quę reparandę, quęve demoliendę ſint, & qua forma, ex probatis in inſtruet.

Fenestellę vrceolorum.

Clauis pro birreto ſacerdotis celebrātis.

Tintinnabuli.

Campanilis.

Fenestrarum.

Ambonis locus & forma deſignetur, vbi conſtrui poteſt.

Suggeſti item, vbi non fiat Ambo.

Numeri, & loci Confessionalium, & reliqua praxis tota de confessionalibus, eorumq; forma & tabellis affixis, & capfulis remotis.

Ianę certę, & locus in Eccleſia ſeminis ſeparatim a viris.

Loci ſedilium virorum & mulierum.

Loci ſepulturę ſacerdotalis, & aliarum, præſertim communium pro populo: tū priuatarum, ſi quando concedendę erūt a nobis.

Crucis cœmeterij.

Capellę paruulę in Cœmeterio vbi poteſt.

Vaſis aquę ſanctę in Cœmeterio.

Carnerij in Cœmeterio.

Oſtiorum trium Cœmeterijs cum ſera & clauis.

Claſurę Cœmeterij.

Deſignatio, & deliberatio, quę eccleſię cuſtodiri non poſſunt a profanis, & ſordibus, & ideo demoliendę ex viſitatione Apoſtolica.

In ſacriſtia.

Armarij.

Lauatorij.

Oratorij.

Loci ſcripturarum de reliquijs.

Scripturarum eccleſię.

Literarum Pontificiarum, & eiufmodi, ad officij Reſtoris curam pertinen.

Librorum Parochialium, ſcilicet.

Baptiſmorum, Matrimoniorum &c.

Labij olei lampadę.

Loci pro diuerſa ſuppelleſtili craſſiori ad vſum eccleſię.

Domus Parochialis.

Fenestellę in ea pro oleo ſacro inſermo

rum in his parochijs, vbi aliquando aſſeruari ibi necelle ſit.

Transitus domus Parochialis, vbi opus ſit, ſine ſeruitute Cœmeterij, vel Eccleſię.

Deuiatio vię publicę, vel alia ſeruitutis Cœmeterij loci proceſſionum quotidianarum circa eccleſiam.

Loci, & cauſarum, vbi vna tantum particula Sacrę Eucharitię deſerri debet, P. I. de Euchar. pr. 2. tit. 1. decr. 11.

Prout. 1. pa. 8.  
5. Duas aut.  
Pr. 2. pag. 62.

Ratio impenſę fabricę, & ſuppelleſtilis eccleſię.

**I**N ſingulis ordinationibus, quibus impenſa facien. eſt a beneficiato, taxetur ſumma impenſę cum præſinitione termini, vt puta centum ſingulis annis vſq; ad perfectionē operis impoſiti, vel emptio pixidis intra tres meſes, vel etiã taxatio pretij, ſcilicet pixidis triſi, ſex, decem aureorum; vel plurium, pro ratione eccleſię eiusq; reddituum.

In huiusmodi etiam, cum facien. ſunt a Populo, præſiniatur tempus quātum poteſt, ſindicis vel cōſulibus prius iudicis.

Vbi non conſtat, an ad Reſtorem, vel ad Populum pertineat impenſa; dicatur abſolutē, fiat Pixis, &c. non aſſignando onus impenſę magis ad populum, quā ad Reſtorem.

Vbi etiam conſtat ad Reſtorem pertinere, ſperatur tamen adiumentum a Populo, caueantur verba in ordinatione, quibus populus videns obligatiōem ſacerdotis, retrahatur ab ornatu & ſubuentione eccleſię; ſed vel de conſenſu ſtatuetur, quid Populus, quidve Reſtor præſtet; vel dicatur abſolutē, fiat Pixis, &c. non aſſignando cuiquam illud onus; monendo tamen ſacerdotem, vt (quid quid a Populo habere potuerit adiumenti, vel non) ipſe omnino ſpatio conſtituto præſtet: de qua monitione conſtet in actis vel taxetur ſacerdos: verbis, quibus præſupponitur adiumentum dandum a populo illi operi, vel taxę ſacerdotis eſſe in adiumentum populi ad illud opus exequendum.

Regula ſit, vt cūm eccleſię redditus ſuppetunt commodę ad omnes impenſas, non compellatur populus niſi ad Cœmeterij

V. A. tit. de  
cœmet pag.  
466.

terij impensam; præterquam vbi consuetudo esset populo etiam alia præstandi, quæ communiter est in territorio Bergomensis, in ditione Helueticorum, in locis etiam alijs, præsertim montanis, & remotioribus ab vrbe.

Si verò non suppetunt fructus Ecclesiæ præter victum sacerdotis, tum quod deest Parochiali Ecclesiæ, ac ædibus Parochialibus, in fabrica, suppellectili sacra, vel clerici sustentatione, curandum est impensa Populi.

Pag. 367. de  
ca. 35.

In alijs verò Altaribus quâ maiori, seruetur decretum diœc. 4. de eo genere. Si pro ratione reddituum partiendum est onus impensæ inter Parochum & Populum, semper assignentur potius sacerdoti, quæ pertinent ad paramenta, tabuleas, corporalia, & huiusmodi, & reparatio Altaris maioris.

Populo verò potius quæ pertinent ad Baptisterium, campanas, campanile, muros, tectum, & pavementum, ianuas Ecclesiæ: quoniam ad hæc populi propensiores sunt, ac existimant se magis teneri.

Quæ ad sacram Eucharistiam, communiter assignentur præstanda sumptu scholæ Corporis Christi; nisi illius magna inopia aliquando cogeret adiumentum illi dari à Parocho, vel vniuerso populo, præter frequentes oblationes & eleemosinas, quæ cura etiâ parochi querendæ erunt à Populo eius scholæ, & harum impensarum nomine, vt opus fuerit.

In taxandis capellani fructibus pro reparatione & ornatu, habeatur ratio, ne grauetur redditus pro rata, quæ assignaretur mercenario implenti onera & munera illius capellæ ad rationem præscriptam, decret. diœc. 2.

Si verò titularis valde inops esset, aliquid amplius poterit relinqui ipsi arbitrio Visitatoris, reliquum applicari impensæ faciendæ.

De fructibus etiam beneficiorum vacantium, vel debitis Altaribus ad Missas non celebratas, attribuantur fabricæ, ornamentis, & suppellectili sacre, & alij necessitatibus eorundem ecclesiæ, & altarium, vbi alij non sint, qui de iure teneantur, vel sponte præstent.

Vltimum remedium pro hac impensâ

fit, quando alia vice omnes defunt, sua perferere à toto seruitio vel parte eius capellæ per aliquod tempus, & quod in hoc impenderetur si à mercenario præstandum esset, assignare eidem impensæ; facultatemq; dare titulari qui inops sit, suscipiendi in alio altari vel ecclesiâ eleemosinam cum onere Missarum, loco illorum fructuum, qui subtrahuntur pro impensâ altaris: hæc q; ratio seruetur etiam in capellis & altaribus mercenarijs, quæ non habent vnde reparantur & ornentur alia ratione, vt in decret. diœc. 4.

In his quæ minutiora sunt, vt clauis rerum sacrarum & ecclesiarum, corporalia, purificatoria, vasa pro sacris oleis, cutula hostiarum, & corporalium, vas pro illis lauandis mantilia pro ablutione manuum, & huiusmodi, non excusetur Rector vllò quouis inopiæ prætextu, quominus etiam negligente populo ab ipso præstentur ordinationis tempore constituto.

Quæ nobiscum, vel cum præfecto nostro fabricarum ecclesiasticarum consultare debent.

**S**itus Altaris maioris cum sua clathra in collegiatis ecclesijs, & parochialibus.

Collocatio Baptisterij.

Item Sacrastræ nouæ.

Item Campanilis noui.

Item Cœmeterij noui.

Item domus parochialis nouæ.

Deliberatio de facultate clathrorum ligneorum.

#### De Reliquijs sacris.

**R**ecognoscant sacras reliquias ex monumentis antiquis, aut schedulis affixis, aut testibus; & inspiciant item si commodè possunt. Indicem summarium illarum conficiat ad formam præscriptam in decretis Cancellariæ.

#### De Indulgentijs.

**R**ecognoscant eas ex monumentis antiquis, aut testibus. Indicem item vt supra conficiant.

De

De bonis Ecclesiasticis.

**I**nventarium bonorum ecclesiasticorum, & piorum locorum sitorum in singulis parochijs, etiam per publicationem monitoriarum, & compulsuarum.

Coactio ad soluendas decimas, his qui prætendunt exemptiones; nisi eas ostenderit ex Concil. Prou. 3. Dioc. 4.

Item ad soluen. in agro, & ex omnibus fructibus, ex Conc. Prou. 3. §. 4.

Recognitio decimarum ecclesiarum à laicis possessorum ex p. 3.

Recognitio vnionum p. 1.

Item locationum ad longum tempus, p. 1. p. 2.

Recisio alienationum illegitimarum, etiam cum pacto confirmationis, non tamen secuta p. 2.

Recognitio Inventarij bonorum, & iurium p. 1.

Inuentarium authenticorum bonorum ecclesiasticorum, vel piorum locorum existentium in territorio cuiusq; parochialis, facta publicatione monitoriæ.

De Archiujs constituendis.

**C**uret visitator omnino in primis institui vnum vel plura Archiua in singulis Plebibus in sacristia ecclesie plebanæ vel alijs, & ecclesijs pferim insignioribus illius Plebis, in quibus possint tutò custodiri, in quibus Archiujs redigant omnes scripturas ecclesiarum inferiorum ad formam decreti Provincialis.

Idemq; fiat in ecclesijs Ciuitatis.

In singularum ecclesiarum visitatione conscribatur inuentarium scripturarum; cuius copia altera sit penes Rectorem ecclesie illius de cuius interesse agitur, altera penes Archiuistam, tertia penes acta Visitatoris in Cancellaria recondenda: tum iubeat scripturas illas omnes authenticas, & alias quæ momenti alicuius sint, afferri ad Archiuium constitutum pro illa ecclesia, retenta copia, vel transumpto authentico deferenti, si ipse voluerit.

Constituatur Archiuista in Archiujs Diocesis literis patentibus Archiepiscopi; qui sit Notarius, cum auctoritate

transumptandi authenticas scripturas, vt possint Rectores ecclesiarum illis vti, cum opus erit.

Constituatur taxa modica ipsi Archiuiste, quando edet instrumenta.

Quæ instrumenta opus erit transferre Mediolanum, vt transumptentur, in Archiuio Archiepiscopali, deferantur per Archiuistam, vel Notarium substitutum Cancellariæ, eumve qui conscribit acta Visitatorum, neque exeant de eorum manibus.

Si quando tamen necesse fuerit iussu Vicarij Generalis, seu Visitatorum generalium, liceat ab illo Archiuio plebano seu particulari dari Rectori vel titulari originale ad certum breue tempus, ex causa exhibenda coram Iudice, ac deinde restituenda retenta in actis copia collationata citata parte.

Si quando ex aliqua causa non posset haberi instrumentum foundationis, vel Donatoris capellarum, & altarium, vel eiusmodi; procuret saltem Visitator scire, quis sit Notarius, de eoq; fiat mentio, & de eo qui tunc habet illud instrumentum, & reponatur tunc in Archiuio illo, tum in Cancellaria nota illa.

De beneficijs vacantibus.

**D**escribatur titulus beneficij, & modus vacationis ad prescriptum decretorum de Cancellaria.

An Parochialis ipsa commendata sit Parocho vicino, alijsve indigentibus spiritualibus, an verò regatur à sacerdote approbato, & cum debita facultate nostra, etiam pro confessionibus audiendis, & eiusmodi approbatio sit & facultas ea, & an ea adhuc vigeat, q̄ & exhibeatur. Si tempore vacationis satisfactum sit omeribus in toto vel in parte, & exprimat pro qua parte, & per quos sacerdotes, quò ad munus Missarum.

Quis tempore vacationis fructus perceperit, administrationem habuit, & qua facultate.

Quantitas & qualitas fructuum & reddituum exactorum toto tempore vacationis.

Quantitas expensarum factarum, singula singulis congruè referendo.

Cal-



Calcula cum exactoribus, seu depositarijs fructuum, ideoq; & noscatur quidnam exactum sit, agatur contra fictabiles alios pro toto debito, donec ostendant cui soluerint.

Prouideatur debito seruitio & satisfactioni durante vacatione.

De fructibus, attribuatur fabricæ, ornamentis, & suppellectili sacræ quidquid opus erit, vbi alij non sunt, de iure teneantur, vel spontè præstent.

Deputentur depositarij idonei, & Curatores eorundem fructuum & beneficiorum vacantium.

In capellis titularibus vel mercenarijs assumant diligenter informationes de Missis non celebratis à pluribus annis, compellant capellanos, aut heredes, aliosve ad quos spectat, ad pbandâ satisfactionem, dato congruo termino; alioquin ad satisfaciendum condemnent etiâ pro præterita omissione, factis præterea sequeltris, & relaxis exinde concessis, prout iuris fuerit.

#### De fructibus Ecclesiasticis.

**V**ideant rationes fructuum beneficiorum vacantium ad præscriptû instructionum de eo olim factarum.

Deputent depositarium idoneum, & curatorem eorundem fructuum.

Videant rationes multarum, & aliarum quarumcunq; ejusmodi applicationum. Rationes mediorum fructuum, ac aliorum reddituum sacrifiæ.

Rationes teruiorum præbendalium applicatorum residentie, scilicet an dati sint deseruientibus in ecclesia, vel usurpati forsan à solis Prepositis.

Rationes tertiorum præbendalium fabricæ ecclesiæ applicatorû scilicet an cõsumpti in his fabricis que ad solû præpositum spectant, vt puta edibus ipsius, vel in suppellectili, que ad curam sibi incumbentem solû spectet.

Faciant sequestra fructuum beneficiorum, que retinentur cum alijs incompatilibus.

Beneficiorum absentium, qui debet residere.

Capellaniarum titularium vel mercenariarum, pro satisfactione Missarum, &

aliorum onerum, etiam de præterito, quorum non constat satisfactio, donec constare faciant.

Portionis fructuum, vt edes beneficij reparentur quantum potest à Titularibus. Pro reparatione fabricæ, & suppellectilis sacræ, quæ prouidenda sit à beneficiato, pro ea portione quam sustinere potest, vel ratione beneficij, vel alia de causâ.

De diuinis officijs, & distributionibus. **D**isciplinam chori, & diuinorum officiorum ac Processionum, & funeralium restituant, & instituunt omnino executionem decretorum provincialium &c. ac instructionum de funeralibus: multando de culpis præteritis; increpando præfectos, ac punctatores, & alios deputando vt opus fuerit, præstito illis iuramento, & dando formâ supputationum, & solutionum, ad præscriptum instructionum de hoc.

Plenam abolitionem exequantur officiorum B.M. prohibitorum, ex Bulla Pij Quinti, & pr. 3.

Prohibeant libros apochryphos in omnibus ecclesijs ex pr. 1.

Deligant Magistrum Cereemoniarum in singulis plebibus ex pr. 2.

Abusum hebdomadæ, & sex mensium, si alicubi sublatus non est, seuerè plectant. *Dicc. 4.*

Veram praxim multæ distributionum pro erratis in diuinis officijs, etiam extraordinarijs.

Faciant applicationem tertiorum fructuum præbendalium residentie, & dentur seruientibus in ecclesia ex pr. 1. & 4.

Fraudem in præbendarum illarum locutionibus tollant ex *Dicc. 4.*

Praxim introducant supputando distributionum solutiones, ex forma collegiatis vrbis ecclesijs per nos tradita.

Abrogent statuta, & cõsuetudines symoniacorum pr. 2.

Deligant, vbi dubium est, diem consecrationis Ecclesiæ pro celebritate anni uersaria, ex pr.

De moribus, & studijs cleri generatim. **C**oactio ad residentiam verâ, cibû & somnum capiendõ in ædibus ecclesiæ,

clesiæ, & canonicalibus, vbi potest, & multa de præterita contumacia, culpave alia.

Conficiant indices cleri plures, præsertim eorum qui apti sint ad seminaria, ad præscriptam rationem in decretis de cancellaria.

Index omnium obtinentium beneficia incompatibilia, scilicet duo, vel plura in eadem ecclesia, vel etiam in diuersis ecclesijs, si vtraque personalem requirant residentiam.

Index omnium beneficiorum non curatorum, qui non resident, ac sequestrum cum denunciatione Vicario criminali.

Deputent confessores cleri in diocesi.

Item sigillatim cleri inferioris, ex pr. 2.

Adscribant clericos ecclesijs vt inferuiant: item scholis Christianis adiuuandis: item scholis Grammaticæ, cantus, scribendi, & cæremoniarum, ex pr. 3. & certo sacerdoti, qui eos bonis moribus in dotos & ornatos reddat ex pr. 2. & sæpè nos admoneant de eorum profectu, vel defectu.

Honestis occupationibus clerum exerceant extra dioc. 4.

Cura studiorum cleri episcopo ex pr. 3.

Prouisio, vt Theologi collegiarum munus suum obeant, & fructuose.

Observatio clericorum, vel pensionariorum non recitantium officium, ex pr. 1. & pr. 3.

Cura sacerdotum mendicorum, ex pr. 3.

Exhibitio facultatum & licentiarum omnium clericalium, etiam respectu mulierum.

Si quos viderint abuti licentijs à nobis impetratis, aut alijs non expediri eas facultates; illas reuocent, vel suspendant, ad nosq; de eo rescribant.

De ædibus canonicalibus, & alijs ecclesiasticis.

Reuocent omnium licentias habitationis mulierum in ædibus canonicalibus.

Laicos expellat ab ædibus ecclesiasticis.

Prohibitio habitationum suspectarum & indecentium, vt opus censuerint.

Coactio ad habitationem, & reparationem ædium ecclesiasticarum quantum potest, ad effectum residendi ex pr. 1. & dioc. 3. etiam per sequestrum portiois fructuum.

Vt circa fabricam ædium canonicatum

ve expendantur tertij fructuum præbendalium applicati.

Vt canonicæ, & earum portæ claudantur.

Designatio ædium canonicalium comparandarum, vel fabricandarum, etiam per alienationem bonorum stabiliū residentis per nos faciendam, vel assignationem partis residentis vel præbendarum quotannis; id referendo prius ad nos.

Causæ circa mores, & disciplinam cleri, præsertim pro executione decretorum, omni breuitate expediantur, etiam extra iudicialiter & summarie in loco visitationis, & vbique.

In omni correctione, præter pœnas & multas irrogandas, fiant prohibitiones & præcepta sub pœna alicuius contrarij actus illi delicto ad cautionem in posterum, vt puta.

Nè colloquantur cum certa muliere.

Nè recedant à finibus suæ Parochiæ.

Nè celebrent extra eam.

Nè comedant in domo aliena.

Nè conuersentur cum vlllo nobili.

Vt adeant quotidie sacerdotem pro discendo aliquid.

Restitutio congregationum mensualium, & hebdomadariarum, & capitulorum spiritualium.

De Parochis.

Executio pœnæ contra parochos in omissione sui officij, & rigorosa contra non denunciantes, &c.

Executio reliquorum in instructionibus iussu nostro impressis de sacr. Euch. de sacr. pœnit. de statu animarum, de statu cleri.

Declaratio de domo pluribus parochialibus subiecta exequenda ex dioc. 3.

De avaritia multorum generum in funeralibus seuerè punienda, iuxta concilium pr. 1. & 4. & instructiones impressas.

Idem in Baptismis, & Matrimonijs.

De Vicarijs Foraneis.

An applicationes multarum, ad suum, vel Ecclesiæ suæ commodum directè vel indirectè conuerterint.

An liber de multis impositis, attributis, & exactis.

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An

An negligentia, alia ve culpa in exactio-  
ne mulctarum, & in executione concilio-  
rum, & iussionum nostrarum etiam in  
alijs procuranda.

An receperint pecunias, vel munuscula,  
etiam esculenta, in absolutionibus ca-  
sum reservatorum, vel interdictorum,  
vel pro procuratore dispensationum  
matrimonialium, & eiusmodi: aut in vi-  
sitationibus, aut in processibus confi-  
ciendis, vel ipsi, vel eorum notarius fa-  
miliare seve.

An aliàs occasione sui Vicariatus soleat  
accipere, præsertim à sacerdotibus.

An grauis impensa data prætextu nomi-  
neve Notarij.

An comessatio, vel frequens refectio si-  
ne necessitate apud sacerdotes in Vica-  
riatibus, etiam prætextu visitationis.

De tyrannide etiam in clerum populū-  
ve, clypeo eius officij.

An iniustitia facta, vel iustitia negata  
aut dilata, amore, odio, gratia, aliave  
causa.

An imperitia perniciofa & intolerabi-  
lis, vnde amouendi sint officio.

De priuatis etiam illorum culpis in mo-  
ribus, vel cultu, & regimine suarum ec-  
clesiarum, occasione præsertim non ha-  
bendi in ijs partibus superiorē, qui scru-  
tetur eorum vitam & facta.

An absint sine causa à choro, ecclesiae:  
aut negligant officium concionandi, &  
sacramenta ministrandi suo populo præ-  
textu Vicariatus, aut visitationum.

#### Quæ ad laicos spectant.

**R** eceptio fidei professionis à publi-  
cis professoribus qui adhuc non  
præstiterunt, & ludi magistris, & alijs  
docentibus, etiam Musicam, & artes libe-  
rales, ex Bulla Pij IIII. & Prouinciali-  
bus Concil. 1. & 3.

Inquisitio, & probatio morum ludi ma-  
gistrorum.

Observatio eorum perpetuò ex Con-  
cil. pr. 3.

Distributio concionatorum extraordi-  
natorum per Diocesim, ex conc. pr. 1.

Conquisitio dierum festorum veterum,  
& piarum consuetudinum, ex pr. 3.

Peruasio populis conueniendi ad Mis-

sam, & audiendi verbi Dei festis diebus  
in Parochia, ex prou. 1.

Institutio orationis matutinæ & seroti-  
næ, vbi non sit; & restitutio, vbi intermis-  
sa est.

Iuramentum Medicis, & inhibitiō eis  
qui adhuc non præstiterunt, ad præscri-  
ptum Bullæ Pij IIII. die 6. Martij 1556.  
& reliquæ executio illius constitutio-  
nis, ex pr. 1. 2. & 3.

Delectus secretus in singulis Parochijs  
duorum vel plurium proborum virorū,  
qui denūncient malos mores sacerdo-  
tum & clericorum, ac etiam abusus po-  
puli & laicorum.

#### De scholis, & confratrijs, & pijs locis.

**N** e erigantur sine facultate.  
Neve habitum sumant.

Institutio fodalitatum Doctrinæ Chri-  
stianæ, ex prou. 2. & 3. & diœc. 4.

Visitatio, & alia adiumenta spiritualia  
concessorum, & concionatorum schola-  
ribus ex pr. 3.

Coactio Clericorum ad adiuuandū eas.

Institutio societatis corporis Domini,  
ex pr. 2.

Confratriæ fraternæ correctionis eri-  
gendæ, ex prou. 3.

Erectio societatis S. Ursulæ in oppidis  
insignibus. Item Sanctæ Annæ.

Item charitatis.

Institutio societatis nominis Iesu, ex  
pr. 2.

De societatibus sacerdotalibus seruetur  
Decretum Diœc. 3.

Incumbant executioni eorum omnium,  
quæ generatim ac sigillatim præscripta  
sunt Concilijs Prouincialibus, & præ-  
sertim primo, & quarto, tum maxime  
visitatio Apostolica, siue de qualitati-  
bus administrationum, siue de modo ad-  
ministrationis, siue de rationum reddi-  
tione, siue de Cura omni cognitionis,  
& executionis piarum voluntatum inte-  
grè, siue de cura, & vita spirituali eo-  
rum qui administrant.

De Regularibus.

Capita, in quibus si opus erit, cogendi.

**F**idei professio professoribus, ex Bulla Pij IIII. Emendatio errorum in sacris imaginibus, atque earum ornatu, & cautio in posterum ex Conc. Trid. pr. 1. tit. Quæ seruanda sunt in sacris imaginibus effingendis.

Ne prædicent sine facultatis, benedictio nisi testimonio, pr. 3. tit. De his, quæ pertinent ad concionatores.

Regulæ de exorcismis energumenum seruandæ, dioc. 4. decr. 18.

Ne sine facultate scripta audiant confessiones, pr. 1. tit. de sacr. pœnit. §. Qui. Parochi.

Confessores ne se ingerant in casibus seruatis, sine episcopi facultate, pr. 3. de pœn. sacr. ex constit. Pij V. die 10. Aprilis 1572.

Ne relaxent publicam penitentiam sine episcopi cons. pr. 1. tit. de sacr. pœnit. §. Idem quemadmodum.

Testimonia confessoris promptè danda pœnitentibus, vel infirmis, vel in Paschate. A. V.

Exhibitio intra mensẽ Episcopo Indulgentiarum quarumcunque suæ ecclesie; & vnde de illis constat.

Ne indulgentias publicent populo absq; episcopi facultate, pr. 1. de prædicat. verbi Dei.

Vt qui sunt in dioc. conueniant ad processiones generales in parochia, vel plebe, vbi habetur Monasterium, ex declaratione apostolica.

Capita, in quibus si opus sit, comminandum de referendo sanctissimo, vel agendo cum eorum superioribus.

**C**oncordia cum parochis in oppidis, & vicis; vbi pauci religiosi, ne impediant missam, & sermones parochiales.

Auaritia cauenda in confessionibus audiend. prou. 1. tit. de ijs, quæ ad sacr. admin. pert. §. cum sacramenta.

Nota confessoriorum episcopis in initio aduentus, & Quadragesimæ, pr. 1. de sac.

pœnit. instruct. de sacr. pœnit.

Lectio singulis Mensibus, vel alio certo tempore frequenter inter illos ad præscriptum instructionum nostrarum de confessoribus.

Observatio veræ earundem instructionum. Liber de nominibus penitentium conficiendus in Paschate, & exhibendus promptè episcopo, ex Vis. Apostolica.

Exclusio mendicantium, & malè conuersantium in ecclesia, ex Bulla Pij V. etiã interdicens ex facultate à nobis data superiori cuiusque Monasterij, & substituto.

Requisitio executionis totius ordinationum visitationis Apostolicæ illis factarum sigillatim vel generatim.

Demolitio Altarium iussa eisdem ordinationibus fiat sine mora.

Prorogatio bimestris data quò ad demolitionem Altariũ, quæ facienda esset, solum quia non sint redacta ad formã, licet loco decenti sint; modò tamen in eis non celebretur interim iux. ordinationes prædictas.

Capita, quibus hortandi, & persuadendi.

**I**nuentarium, & recognitio, ac restitutio in ecclesia sacrarum reliquiarum, & reliqua executio in earum cultu, ex instru.

Pulsatio campanarum pro institutione orationis vespertinæ, & matutinæ.

Item Ave Mariæ ter in die.

Copiæ optimorum Concionatorum in Ciuitatis & Diocesis Monasterijs semper, prou. 1. tit. de Prædic. V. D.

Deputatio concionatorum certis locis Diocesis per annum, ibidem.

Regulæ concionatorum seruandæ, prou. 1. de præd. V. D.

Informatio singulis concionatoribus de loci indigentis danda à Vicarijs Foraneis, & Parochis.

Concio inter Missam fiat.

Ne commendent pauperes sine licetis, pr. 1. de præd. V. D.

Distinctio marium à feminis in ecclesiis semper.

Observatio Decreti de benedictione, & processione candelarum, & palmarum,

E c prou.

prou. 3. de sacr. §. Quod pietatis.  
 Consecratio ecclesiarum & Altarium  
 maiorum, si non sit facta, fiat.  
 Superpellicium & stola in Sacramento  
 poenitentiae administrant. omnino, saltē  
 in ecclesia; nisi qui cappam adhibere so-  
 lent in choro loco superpellicei; quo ca-  
 su stola tum omnino adhibeatur.  
 Obseruatio Regulae seu tabellae editae  
 de oratione quadraginta horarum, etiā  
 extraordinaria.  
 Persuasio populis frequētis communio-  
 nis, non ē contra, pr. 3. de ijs, quae ad sa-  
 cr. Euch. pert. §. 1. d. 4. dec. 10.  
 Praxis instructionis primō communi-  
 cantium, ex instructionibus impressis, de  
 Euch. Item pr. 1. tit. quae pert. ad sacr. Eu-  
 ch. §. Adolescentibus.  
 Tabella confessoriorum in foribus sacri-  
 stiae, pr. 1. de sacr. poenit.  
 De accedente ad confessarios in aliena  
 Diocesi, pr. 3. de ijs, quae pertinent ad  
 poenit. sac. §. 1.  
 Regula, quo loco & tempore confes-  
 siones audiendae, ac ne in priuatis domi-  
 bus, pr. 1. tit. de sacr. poenit.  
 De confessionalibus habent. quotque, &  
 qua forma, & quo loco, ex instruct.  
 Tabellae, & alia affigenda confessiona-  
 li, instruct.  
 Item capsulae remouendae, instruct.  
 Confessores habeant casus reſeruatōs,  
 pr. 1. tit. de sacr. poenit.  
 Ne se ingerant in dispensationibus occa-  
 sione Iubileorum, nisi facultas expresse  
 data sit, pr. 3. de ijs, quae pertinent ad sac.  
 poenit. §. Ne Confessarij.

Conformitas in cultu materiali ec-  
 clesiarum.

Vasis aquae benedictae, & aspersorij  
 affixi locus, & forma, ex instruct.  
 Sacrarium ad formam omnino instruct.  
 Pixis pro Eucharistia ad formam in-  
 struct.  
 Tabernaculum cum lunula ad formam  
 instruct.  
 Vestitus Tabernaculi maioris intus af-  
 feribus, & serico foris conopeo, ex instr.  
 V. Ap.  
 Ne in tabernaculo illo alia, V. Ap.  
 Ut in altari maiori ubiq; pr. 1. de sacr.

Euch. §. Episcopus.  
 Aptatio Tabernaculi in Altari commo-  
 da, V. A. instruct.  
 Renouatio sacrae hostiae singulis hebdo-  
 madis, V. A. Ap. st.  
 Lampas ante perpetuo, pr. 1. de sacr. Eu-  
 ch. §. Episcopus.  
 Vasa purificationum ad formam, pr. 3. de  
 sacr. Euch. V. Ap.  
 Locus sacri olei infirmorum, & forma  
 vasis, ex instruct. pr. 3. de sacr. extr. vnct.  
 §. ad Sacr.  
 Obseruatio decreti de sepulturis, etiā  
 iam factis, V. A. Ap. st.  
 Mundities Altarium, ecclesiarum, sacri-  
 stiae, sacrae suppellectilis, & rerum om-  
 nium sacrarum.  
 Fabrica Altarium, & capellarum, & sup-  
 pellex sacra omnis ad formam instru-  
 ctionum nuper impressarum; & eccle-  
 siarum.  
 Benedictio paramentorum antequam  
 adhibeantur in vsum, ab ijs qui faculta-  
 tem habent à sede Apostolica, vel à no-  
 bis habebunt.

De moribus eorum.

Videant omnes ecclesias Regulariū  
 virorum, non tamen per modum Vis-  
 itationis, neque ibi scribatur à Nota-  
 rio, vnde ipsi violari putent eorum im-  
 munitatem: diligenter speculando, si  
 quid sit, quod ad ordines Visitationis  
 apostolicae exequendos, vel alias ad de-  
 centiam earum ecclesiarum pertinens,  
 de quo admonendi sunt, vel nobis si-  
 gnifican. noteturque domi quidquid a-  
 nimaduersum fuerit non executum, aut  
 alias prouidendum: ea item de quibus  
 illi admoniti fuerint; non tamen illud  
 cum alijs in actis ponatur, sed ad par-  
 tem, nisi aliquid esset ex his capitibus,  
 de quibus regulares ab ordinario com-  
 pelli possunt.  
 Si qua deformatio sit, aut querela denu-  
 ciationum fiat de moribus virorum Re-  
 gularium qui in Monasterijs degunt, af-  
 sumantur informationes secretae, vigo-  
 re etiam litterarum Apostolicarum no-  
 bis concessarum, processum informa-  
 tionum ad nos quam peiimum transmi-  
 tendo.

De

De Monialibus.

Vifitent Vifitatores ecclefias exteriores Monialium ordinario fubieciarum; fed ordinationes conferant cū Vicario Monialium ante publicationē. Si quid ad aures deueniat de vitæ honeftate, aut violatæ claufuræ, vel familiaritate, aut frequentia virorum ad parlatoria, aut alijs abufibus Monialium, tam ordinario quàm Regularibus fubieciarum, conficiant fecretò procesfum informatiuum feparatim, & transmittant ad nos.

Aliqua curanda in monialibus exemptis.

Obferuatio decretorum de monialibus primi Concilij prouinc. extenforum ad Moniales exemptas, etiam fubiectas Regularibus, auctoritate Pij V. & declaratione etiam Gregorij XIII. Plena obferuatio decretorum Vifitatoris Apoftolici circa Moniales.

De fanch. Euch. in Altari maiori collocanda.

De fenestra inter ecclefiam interiorem & exteriorem.

De mufica non adhiben. in ecclefijs exteriorib.

De fenestris, rotis, locis collocationum, profpectibus, & alijs deniq; præfertim ad claufuræ custodiam, vel fecuritatē, vel honeftatem quouis modo pertinentibus, ingreffu Monasteriorum, vel accessu, sine licentijs Regiftratis in Archiepifcopali Curia; & domibus hofpitiarum, & confellatorum.

Vt caueatur maxima frequentia, accessusve Regularium ad Monasteria Monialium, fibi, vel alijs fubiecta.

Ne laici in eorū ecclefijs exerceant functiones ecclefiafticas contra decretum Concilij Tridentini; fed conducant, habeantque clericos, & in minoribus ordinibus constitutos, qui in Miffa facerdoti celebranti miniftrent, & alias ecclefiafticas functiones obeant, inhibendo etiam ipfi laicis, fi opus aliquando fuerit.

Vt caueantur fuperflua impenfæ Monialium.

De Procesfibus in Vifitatione perficiendis, vel remittendis ad Iudices Ordinarios.

Quæcūque expediri poffunt in actis Vifitationis, non diferant.

Quæcūque verò vel ob grauitatem, vel ob difficultatem perfone negantis delictum, maturius iudicium requirent, & longiorem deliberationem, procesfum informatiuum diligentiffimè cōficiant; cuius copiam authenticam deinde statim remittant ad Vicarium Criminalem, retento originali in actis, facto præcepto de eo, vt certo termino fe præfentet coram ipfo Criminale Vicario, vel eo etiam carcerato, aut habita fideiuffione, prout caufe, vel delicti commiffi ratio poftulabit.

Reliquas caufas ad mores & disciplinam cleri pertinentes, præfertim pro executione decretorum, omni breuitate expediant, etiam extraiudicialiter & fummariè in loco Vifitationis, & vbique.

Pœnas, multas, pœnitentias priuatas & publicas arbitrio fuo irrogent, & exequantur.

Negotia quoque ciuilia, quæ poft fumptas informationes terminari non poffunt, ex quo egeant vltiori procesfu, remittant Vicario Ciuili Curie Archiepifcopalis, vel generali, vt rei qualitas poftulabit.

In dubijs mēre legalibus confulant Vicarium Criminalem, vel ciuilem, vel Generalem, pro ratione materiæ.

In reliquis ad nos fcribant, vel ad Vicarium generalem.

Si autem aliquid reperiri, vel deferri cōtingat contra Clericum de regione alij Vifitatori assignatam, habita authentica copia talis delationis, cum informationibus fcriptis dirigantur quàmprimū ad manus Vifitatoris illius regionis, retento originali.

Memorialia fecreta continentia criminalitatem abfque inditijs, feruentur extra acta Vifitationis penes vifitatores cū indice, tradanturque Archiepifcopo.

## Præparatio pro Visitatione .

**V**isitor colligat libros in visitatione deferendos ad usum visitationis .  
 Decreta visitationis apostolicæ generalia .  
 Concilium Tridentinum .  
 Prouincialia .  
 Diocesana .  
 Instructiones concionatorum .  
 Instructiones alias infra scriptas .  
 De ritibus, & cæremonijs Missæ Ambrosianæ .  
 De Eucharistiæ administratione .  
 De Sacramento Pœnitentiæ .  
 De funeribus .  
 De fabrica & suppellectili ecclesiastica .  
 De statu cleri perpetuò habendo .  
 De animarum statu conficiendo .  
 Regulas expositionis orationis 40. Horarum .  
 Edictum de cultu dierum festorum .  
 Edictum de cultu ecclesiarum .  
 Indicem librorum prohibitorum .  
 Constitutionem San. in cœna Domini .  
 Casus reseruatos summo Pontifici, vel Archiepiscopo .  
 Regulas scholæ doctrinæ christianæ .  
 Regulas scholæ Corporis Christi .  
 Regulas scholæ Charitatis .  
 Regulas Disciplinatorum .  
 Decreta reformationum, & taxarum Tribunalis, & Cancellariæ .  
 Tabellam tertiam errorum cleri 1577 .  
 Libellum selectorum aliquot capitum exequendorum præcipuè .  
 Tabellam capitum aliquot cum regulis tractatorum, 1577. mense Augusti .

## Libellos item distribuendos .

**R**egularum supradictarum aliquot exemplaria .  
 Libellum litaniarum & psalmorum pro oratione à summo Pontifice Gregorio indicta .  
 Libellos doctrinæ christianæ .  
 Exercitiorum tabellas varias, & examinis, &c. à testibus confectas .  
 Libellorum à præposito S. Fidelis confecto. um aliquot exemplaria .  
 Calculos Aue Maria distribuendos cum Indulgentiarum sibi concessarum tabella .

Libellorum de moribus Christianis ad patresfamilias, & dominos Apothecarum, & reliquos fideles, aliquot exemplaria .

Practicam orationis P. Mathiæ Capucini .

Alios libros populares, qui in dies imprimuntur .

Visitor habeat literas patentes sui officij .

Alias literas facultatum aliquarum nominatim sibi datarum .

Habeat notarium ex substitutis Cancellariæ ab Archiepiscopo delectum .

Instructionem visitatorum hanc .

Instructionem de modo procedendi in delictis, & mulctis, & pœnis, ac pœnitentijs iniungendis clericis vel laicis, in causis quæ expediri possunt in visitatione .

Indicem plebium regionumve, & Parochiarum assignatarum nominatimque visitationi .

Designationes item, & delineationes singularum regionum visitandarum distinctas .

Indicem, & facultates vicariorum foraneorum illius Regionis quam visitaturus est .

Visitationes quoque ultimo tempore plenè factas earundem regionum .

Recognitis scriptis Archiepiscopi ad singulas Regiones tunc visitandas pertinèntibus, colligat memorialia opportuna à Cancellario, vel ex ipsis scriptis, & libris Cancellariæ, & aliunde .

Indicem habeat fundationum regularium statutorum, & eiusmodi in Archivio existentium ex illis locis; tum vt vsui sint, si quando illi opus essent; tum ne duplicato labore describantur iterum in visitatione noua .

Transmittat ante in tempore literas, & instructiones ad singulos Vicarios foraneos, monendo illos ad describendum de receptione: & fiet mentio in actis de receptione .

Habeat secum literas pastorales pro visitatione ab Archiepiscopo ad singulos populos visitandos .

Habeat varias formulas, vt infra .

Reconciliationis ecclesiæ, & cæmeterij, etiam separati, si visitator sacerdos sit .

De

**D**enunciationis excommunicati, & interdicti.

**A**bsolutionis ab excommunicatione solenni.

**R**elaxationis interdicti.

**P**ræceptorum, seu ordinationum contra concubinariorum, inconfessos, & alios delinquentes.

**S**equestrorum impressorum varijs formis.

**C**autioinum præstandarum iuxta qualitatem casuum.

**I**nstructionum Parochis & Rectoribus ecclesiarum pro preparatione Visitatio- ni præmittendam; hanc scilicet, quæ sequitur.

**Instructio pro Rectore Ecclesiæ Visitandæ.**

**T**Riduo proximo antequam Visitatio- nis initium fiat cuiusque vel ecclesiæ curata, vel oppidi, præsertim insignioris, celebretur in eadem ecclesia oratio 40. Horarum à clero populoque illius Parochiæ, oppidique continenter pro salutari visitationis euentu.

**P**arochus verò, aliusve ecclesiæ Rector, vel Præfectus, in qua animarum cura geritur, cum visitandus erit, Pastorales Archiepiscopali literas visitationis nominæ edicas, duobus ante illius aduentum proximis festis diebus intra Missarum solennia, cum populi frequentia adest, de scripto recitet.

**I**dem prætet de literis, quas de confirmationis sacramento ritè religioseque suscipiendo Archiepiscopus instructionum monitionumve nomine ediderit.

**H**oc ipsum præterea exequatur de alijs item literis, edictis, instructionibusque, quas ob visitationem euulgari ille iusserit.

**S**acerdotibus quoque, & alijs quorum interest, Archiepiscopales instructionum literas de scriptis, tabulis, libris, alijsque rei ecclesiasticæ monumentis, instrumentis, cæterisque id generis mature præparandis, quò Visitandi ratio breuior explicatioque sit, significet, & recitet: ac si opus esset, earum exempli rescribendi copiam illis faciat.

**Q**uarum literarum, edictorumque Ar-

chiepiscopaliū euulgationem recitationemve, & sermone, & cōfessione, & monitionibus, & omni alio tam publico tum priuato cohortationum officio prosequatur, prout expedire anima uerterit: quo fidelium animos diligentius præparet, atq; excitet ad suscipiendum Archiepiscopalis visitationis officium, uberrimo ac salutari cum animarum fructu.

**I**llud verò curet, vt nemo qui intra Parochiæ suæ fines habitat omnino sit, qui eo visitationis tempore confessus, sacra communionem non sumat; idque ab Archiepiscopo ipso, etiam si in alia parochiali ecclesia sumere oporteret, scilicet eo loco, vbi ille mane visitans Missæ sacrum faciat.

**N**emo item, qui Chrismate non ante confirmatus, modò ætate in confirmationis literis Archiepiscopalis præscripta sit, illud ab eodem tunc non accipiat.

**Q**uamobrem tum pridie diei visitationis, tum maximè vbi Archiepiscopus visitationis causâ iam aduentare cognouerit, certo aliquo solenni que campanarum sono illius aduentum fidelibus significet; quo frequentius etiam ex agro euocati, omni alia prætermissa actione conueniant, eique tale tamque necessarium munus obeunti diligentius præstito sint, quæ debent obseruantia, ac veneratione.

**S**tudeat item confessoriorum sacerdotum qui ad id muneris probati sint (nisi Archiepiscopi cura præmittantur) copiam necessariam habere; qui biduo, triduoque Parochiæ suæ hominum confessiones audiant, aut confessos reconcilient: vt statuta Visitatio, alia ve die quam Archiepiscopus statuerit, præparati sint ad sacram communionem, & ad confirmationem, qui nondum confirmati sunt, ab eo sanctè sumendam.

**A**c propterea confessionum causa eo tempore confessionalia multa ad formulæ demonstratæ præscriptum confecta, certisq; locis in ecclesia sua decenter collocata, si toridem nõ sunt quot necessaria viderit, aliunde habere curet.

**H**ostias, vinum, vasa, mappas, & alia ad sacre communionis Populo administrandæ vltim necessaria accuratè apparet.



Locum item in ecclesia præparet atque ornet, vbi ab Archiepiscopo confirmationis Sac. fideles religiosè suscipiant. Suggestum item decenti ornatu instruat, vnde tunc ille, alijsve Populo sermonem concionemve habere possit, tum Archiepiscopalia monita de scripto pronunciari.

Pridie illius diei quo Archiepiscopus visitaturus est, chirographa schedularum in promptu esse curet, eorum qui confirmationis Sac. suscepturi sunt, & comparum, commatrumq; item, ex præscripto instructionis literarum de confirmationis sacramento promulgatarum. Omnium, singularumq; rerum, que vel consecrandæ, vel benedicendæ sunt, vt potè ecclesie, Cœmeterij, Altarium, cæpanarum, vestium, indumentorum, tabernaculi, calicum, corporalium, crucium, imaginum significationem indicis ordine exaratam Archiepiscopo ante diem visitationis ita in tempore det, vt cum de apparatu, tum de certa hora vel die illas sacras actiones obeundi de liberare possit.

Sacristiam præterea adonet atque instruat, in qua ex armarijs exposita sint sacra indumenta, vestes, pallia, vasa, ac reliqua omnia ecclesiasticæ suppellectilis instrumenta atque ornamenta; præter illa, quæ in ecclesiæ altariumque apparatu & vsu tunc erunt: eaque ordine, ac pro colorum ratione distinctè collocata ita appareant, vt eo & loco & tempore in visitando cognosci certè, facileque, ac breui possint.

Certo item, decentique sacristiæ loco libri ac volumina ecclesiastica, vt Missalia, Breviaria, lectionaria, Antiphonaria, & alia id generis suis operimentis politè contexta, in oculis Archiepiscopi appareant.

Tuto item eiusdem loco in promptu sint scripta, monita, codicesve, quibus testificatio fiat sacra: tum Reliquiarum in ea ecclesia seruatarum.

Eodem loco tabulæ item scriptave Indulgentiarum eidem ecclesiæ concessarum. Separatim alio sacristiæ loco, vel in Archivio, si illud à sacristiæ distinctum sit, in promptu habeat tabulas, scriptave, ac monumenta queuis pro ratione anno

rum distinctè notata, quæ ad ecclesiæ, altarium, capellarumve iura, priuilegia, bonaq; testificanda pertinent.

Librum item statutorum & constitutum, & tabulam rituum consuetudinum, & si quas peculiarias illa ecclesia, eiusve clerus habeat; præsertim in diuinis officijs, ecclesiasticisq; functionibus.

In promptu præterea ac parata inuentaria hæc infra ordine præscripta, recteque confecta habeat, quibus singulis manu sua subscriptum sit.

Primo inuentarium sacrarum Reliquiarum in sua ecclesia reconditarum, ac simul monumentorum, literarumve illarum verè testificatarum.

Alterum, in quo descriptæ sint Indulgentiæ omnes illi Ecclesiæ, eiusve capellis aut altaribus perpetuè concessæ, aut ad tempus, quod adhuc peractum non sit. Tertium, in quo sacra vestes, pallia, indumenta, & ornamenta singula, omnia quæcunque suppellectilis ecclesiæ sint, rectè, ac distinctè descripta notatave appareant.

Quartum, in quo libri, scripta, literæ, ac instrumenta id generis, quibus bona, iura, priuilegia ecclesiæ, altarium, capellarumve testificata apparèt, notata sint. Que inuentaria, quo tempore, & quibus presentibus proximè facta sint, ex illius scriptione appareat; vt si ita opus aliquando erit, rectè conferri possint, eademque exscripta in Visitacionis acta referantur, prout Archiepiscopus censuerit.

Paratum habeat, ac exhibeat indicem dignitatum, canonicatum, portionum, & aliorum id generis titularum, Altarium, Capellarum, & clericatum, quicunque sint in illa ecclesia, cum explicitione eorum census, ac onerum vnicuique adiunctorum, tum etiam fundationum, institutionumve, & notariorum qui fundationum tabulas confecerint; tum singulorum præterea, qui ea altaria, capellas, portiones, canonicatus, dignitates, aliudve quouis etiam mercenario titulo obtinent.

Indicem etiam similem cum simili explicitatione titularum, & beneficiorum quorumcunque, tum ecclesiarum, & oratoriorum secularium, etiam campestris,

quæ

que sita sunt extra illam ecclesiam, intra fines tamen eiusdem Parochiæ. Indicem item sodalitarum, confratrarum, locorum, operumve piorum quouis modo in ea ecclesia institutorum, quo exprimitur, & institutio, & institutionis tabulæ, à quo scilicet Notario confectæ.

Rursus indicem similem scholarum, confratrarum, hospitalium, locorum & operum piorum quorumcunque, quæ extra illam ecclesiam, intra fines tamen Parochiæ sita sunt.

Indicem quoq; Monasteriorum, Præpositurarum, & huiusmodi domuum regularium, tam virorum, etiam si commendatae sint, quam feminarum, etiam quæ ab Episcopi Iurisdictione immunes sint, quæcunque in illius Parochiæ finibus sita sunt.

Paratum item indicem habeat, ac exhibeat, in quo Clerici in suæ ecclesiæ finibus habitantes descripti sint, notatis eorum vniuscuiusque tum nominibus, tum domicilijs, habitationibusve ecclesiasticis aut secularibus; hoc item adscripto, an soli, an vnâ cum alijs vel ecclesiasticis vel laicis habitent.

Indicem item puerorum adolescentumve, vitæ ecclesiasticæ disciplinam ingredientium.

Muscorum item, Cantorum, organoque in quavis ecclesia sonantium.

Laicorum item hominum, si qui sunt sacerdoti in sacro Missæ, aut in diuinis officijs, funeralibus etiam, & in alijs ecclesiasticis muneribus operam aliquâ præstantes.

Indicem etiam Prædiorum, bonorumq; ecclesiæ suæ, rursusque fructuum & censuum quos inde percipit, & aliorum item reddituum, vt potè oblationum, elemosinarum, quæ statis quibusdam anni diebus, vel ob solemnitates, vel ob anniuersaria, aliamve causam fiunt.

Huic rursus alius index adiunctus exhibeatur, vsurpationum bonorum iuriumque illius ecclesiæ, & alienationum præterea triginta ante Concilij Tridentini celebrationem & confirmationem annis factarum.

Indicem etiam det reddituum vel veterum vel recentium, capitulo, clero ve il-

lius ecclesiæ communium.

Indicem quoque distinctum reddituum, emolumentorum, onerum, & aliarum vt supra præscriptarum rerum, quæ ad ecclesias tunc vacantes pertinent: notato etiam tempore quamdiu vacent; & illius item, qui earum fructus, vel decimas, vel primitias, vel alios cuiusvis generis redditus exigit, nomine descripto, & auctoritate qua exigit.

Indicem præterea census, ab eo qui sibi tanquam Rectori obuenit, distincti ac separatis vt potè illius, qui vel ad fabricam illius ecclesiæ, vel ad luminum, vel ad sacristiæ, vel ad alterius eiusmodi rei vsum erogationemve pertinet.

Promptos item habeat codices parochiales; vnum scilicet baptizatorum, alterum eorum qui matrimonium contraxerint, tertium illorum qui christa suscepserint, quartum, quem proximè confecerit, de numero, statuque animarum.

Regestum etiam, aut exempla constitutionum Pontificarum, vel literarum pastoralium, aut instructionum id generis, & edictorum, quæcunque ab Archiepiscopo acceperit: in quibus singulis expressis notatus sit dies, quo illa populo promulgarit, legeritve.

Paratos item libros, & tabulas singulas, indicesve habeat, ac exhibeat, qui debent in sacristia esse ex præcepto Conciliorum Prouincialium, Diocesānorū, ac instructionum.

Si præterea curam administrationemve habeat bonorum ecclesiasticorum, separatim ab ijs quæ sibi ad vitæ sustentandæ vsum attributa sunt, aut fructuum vacantium sibi commendatorum; susceptæ, administratæve curæ rationum codicem in promptu habeat, atque exhibeat.

Separatim verò in promptu habeat vt Archiepiscopo tradat, tabulam decretorum prouincialium, Diocesānorūq; quæ vel ad diuinorum officiorum cultū, vel ad parochialis curæ, disciplinæque christianæ rationem pertinentium, nondum in Parochiæ suæ finibus executionem habuerunt, causis, & impedimentis quoque explicatis, cur in executionis vsum adhuc inducta non sint.

Tum præterea indicem manu sua confectum det, eorum qui infra notati sunt, si qui in parochiæ suæ finibus id generis homines extant.

Hæreticorum, hæresive nomine suspectorum, aut libros hæreticos, prohibitosve habentium, vel legentium.

Publicè ut infra potissimum delinquentium, maleque facta committentium; blasphemantium scilicet, superstitione, maleficijs, magicisque artibus utentium.

Eorum qui in Pascha confessi sacram communionem non sumplerint.

Simoniacorum.

Vsuras exercentium.

Concubinariorum, concubinatufve nomine suspectorum.

Illorum etiam, si qui publicè notorieque criminosi, quibus pro Tridentinæ sanctionis, concilijque primi, & tertij Provincialis decretorum ratione, solennis, vel publica indicenda sit penitentia; vt aut tunc Archiepiscopus eâ iudicio suo statuat, aut illos quos solenniter pro peccati grauitate pœnitere visum est, à cancellario notatos ad se ineunte quadagesima venire iubeat; cuius temporis initio illa de ecclesiæ sanctæ more ipsi subeant ritu solenni.

Coniugum inter se disjunctorum, neque simul habitantium.

Eorum, qui cognatione affinitateve iancti, matrimonium gradu prohibito contraxerint.

In ecclesiâ partum reuerenter, ac non debita veneratione versantium.

Illorum, qui diebus festis Missæ sacro nō interfint, aut feruilibus operibus dies festos violare, aut choreis, comestationibus, aliisque eiusmodi actionibus profanare solent.

Talis, aleæ ludentium, aut istis domicilia exponentium.

Libros de rebus obscenis, parum que honestis confectos; obscenasque; item imagines habentium.

Eorum etiam, qui inertie, desidia, otio, vel cauponis tabernaculive vinarijs delectantur.

Marium, feminarumque, vel itum immoderatum iudicium, non sine manifesta Dei hominumque offensione.

Omnium denique deprauatorum inter eorum in Parochiæ suæ hominibus frequentium, ac publicorum.

Indicem item eorum hominum intra parochiæ suæ limites habitantium, quibuscum Archiepiscopus visitans proprijs visitationis officijs aliquando colloqui agere ve necesse habet: horum scilicet.

Patrum familias.

Ludi literarij magistrorum, paedagogorum, musicæ etiam, scriptionem, arithmeticam, aliasque artes liberales profitentium.

Mulierum item docentium, puellasque sibi in disciplinam traditas domi educantium.

Medicorum, chirurgorum, Tonsoforumque rem medicam exercentium.

Pictorum, & sculptorum.

Bibliopolarum, impressoriarumque facientium.

Ministrorum publicorum, vt Syndicorum, sodalitatibus vnus cuiusque Præfectorum, curatorumque, & aliorum id generis.

Notariorum.

Opificum, artificumve in Parochiâ suâ frequentiorum.

Hominum operibus pijs exercendis aptiorum, aut iam debitorum; & eorum, qui vitæ spiritualis, disciplinæque christianæ studiosi, adiumenta subministrare possunt rationibus parochiæ bene instituendæ vsui necessarijs.

Pauperum, viduarum, pupillorum, ceterorumque; verè miserabilium.

Cauponariam, cœnaculariamve exercentium.

Saltandi, tripudiandive, ac sonandi in choreis artem profitentium, docentiumve.

Exhibeat ipse ordinum instrumenta quibus initiatus est; ac beneficij illius, tum ceterorum etiam, si quæ alia obtinet; tum literas, tum facultates scriptas, & quas ab Archiepiscopo, eiusve ministris habet, vel suo vel ecclesiæ suæ nomine; vt puta suscipiendi munus Missarum celebrandarum, audiendi confessiones eorum qui non sint de sua parochiâ, cohabitandi cum laicis, vel extraneis ecclesiasticis, adhibendi feminæ

sibi

Ibi inservientes, locandi laicis domum ecclesiasticam, exponendi capsulam pro elemosinis, & eiusmodi.

Exhibeat item libros proprios, quo: ex decretis Prouincialibus, aut ex visitationum, alijsve Archiepiscopi iussionibus habere debet; vt potè Breuiarium, Missale, calendarium proximè editum, librum rituale seu sacramentorum, Homiliarium, Psalterium, volumen Bibliorum, Catechismum Romanum, codices Conciliorum, scilicet Tridentini, Prouincialium, & Diocesano: quibus in literis inscriptum sit nomen possidentis.

Exhibeat præterea indicem librorum aliorum, quoscunq; impressos, aut manu exaratos habet.

Quod de sacris reliquijs indulgentijs, indumentis, ornamentis, suppellectile ecclesiastica, libris, scriptis, inuentarijs indicibus, fundationum tabulis, redditibus, emolumentis, oneribus, vsurpationibus, alienationibusque, titulis etiã beneficiorum, & ordinibus, ac cæteris denique Parocho, Rectorive, aut Præfeto ecclesiæ in qua animarum cura geritur, præscriptum est; id omne & Præpositi, & Canonici, & Capellani, etiam mercenarij, & alij dignitatum, canonicatum, altarium capellarum, aliorumve beneficiorum titulum obtinentes, aut quouis nomine administrationem curamve habentes; & rursus fabricarum Præfeti, & sodalitatũ, hospitalium, elemosinarum, locorumve ac operum piorum quorumuis curatores, cum visitandi erunt, præsentent; quatenus eo de toto genere cõstitutum villo modo pertineat ad eorum dignitates, beneficia, capellas, & altaria, titulo, ac ordines, aut ad fabricas, hospitalia, elemosinas, pia loco, vel opera, aut etiam ecclesias, altaria, capellas, eorundem Præfectorum vel Curatorum administrationi & procuratori committas.

Parochi sit autem, aut Præfeti Rectorive vsupra, intra cuius parochiæ fines facienda est visitatio (nisi Archiepiscopus alijs potius id muneri aliquando dederit) illos omnes & singulos in tempore præmonere, vt præscriptum apparatus conficiant, atque in visitatione

præsentent; tum præscriptam rationem qua id præsentent, diligenter docere.

Porrò Rector Ecclesiæ, quæcunq; ex ijs in præscriptis officijs pertinent ad præparationem pro Archiepiscopo recipiendo, & sacramenti Chrismatis ministracione, aut etiam sanctissimæ Eucharistiæ administracione ab illo faciendâ, prætermittet; cætera omnia seruat, cum nõ Archiepiscopus, sed alius eius nomine visitaturus est; neque Archiepiscopus ea occasione accessurus ad illa loca, causa illas ministraciones præstandi, aut visitationem per alios cõpẽtam suo aduentu perficiendi.

De ordine generatim.

**I**N prima visitationis descriptione quæ fit in folijs, post descriptionem vniuscuiusque rei ponatur sua ordinatio breuiter: cum verò referetur in librum, ordinationes omnes collectæ ponantur post descriptionem actuum earundem visitationum, in quarum fine ordinationes omnes simul promulgatæ sint.

Ea quæ pertinent ad Altaria quæcunq; ponantur sub Altaribus, quamuis Altare, vel onus sit alicuius scholæ; reliqua verò pertinentia ad ipsam scholam, describantur in sua visitatione immediate facienda post visitationem Ecclesiæ ante alias scholas & ecclesias ab extra existentes.

Aduertatur, quòd de eis quæ infra per compendium descripta sunt in ordine visitandi, ea quæ reperientur adesse, & conuenire, neque positum est verbum, [descriptio,] omittentur omnino in statu, & ordinationibus, & de eis nulla penitus fiet mentio.

De eis verò, quæ non adsunt, seu continentur, fiat tantum à dicto loco suo, non autem aliqua status descriptio; nisi vbi scilicet positum verbum, [descripto,] vt puta singularum reliquiarum, olei infirmorum domi, cõsecratio facta ecclesiæ, & altarium, fundationes, legata, & deuotiones altarium, cum nomine Capellanorum, & redditibus, vsurpationibus, alienationibus illegitimis; & Parochiæ vsurpationes, & seruitutes cõmiterij,

para-

paramenta sacrificia, domus ecclesie, & redditus, cū usurpationibus, & vsupra ecclesie onera parochialia circa diuina: Numerus familiarum, numerus animarum, descriptio in libris processuum, eorum quæ emergunt contra laicos exhibitione notarum iuxta institutiones preparatorias: Item eorum quæ emergunt contra clericum ex attestatione vicinorum, & alijs vsupra. Horum autem processuum, seu denunciationum quæ delictum concernant, sit Index in actis visitationis.

Defectus, & culpæ notabiles, maximè circa sacramenta, non describantur in statu; verùm ordinatio super inde faciendâ ita clarè explicetur, quòd huiusmodi defectus pateat.

Abusus & defectus capitulares plenè describuntur in statu: ordinationes verò restringantur ad executionem decretorum Prouincialium, & Diocesanoꝝ, & aliorum huiusmodi, & sub pœnis &c.

#### De descriptione Cleri.

**H**Abeant Visitatores notulam distinctam in singula Plebe, & Parochia, personarum ecclesiasticarū ibi habitantium; & ibi fiat eorum status personalis plenè ad partem, ac edantur ordines.

Si quādo verò beneficiatus in ea Plebe, & Parochia, alibi habitet, describat solummodò nomen titularis, redditus & onera beneficij; nā status plenus erit postea in loco habitationis describendus: si verò habitat extra Diocesim, describatur status personalis ad partem in eo loco, vbi inuenitur obtinere beneficiū, omni inquisitione possibili vbiq; facta de eo, maximè circa vitam & mores: & saluo si iste absens etiam aliud beneficium obtineret in Diocesi, tunc status personalis describatur sub eius beneficij visitatione, vbi ille residere tenetur; si verò beneficium residentie nullum obtinet ibi, vbi primò reperitur, eius mentio faciendâ est in visitatione.

De moribus autem, vbiq; aliquid reperitur de clerico præente vel absente, notetur, & sumantur informationes

postea reponendæ in statu vel in processibus suo loco.

Ordinationes verò edantur in loco habitationis, illis exceptis quæ ad beneficium pertinent; quæ sub ipso beneficio collocari debent; vt de residentia, de clerico manutendo, & satisfactione Capellæ.

Quicumq; puer adolescensve est, qui clericalis vitæ amore ac spe ductus, habitum clericalem iam suscepit, & assidue defert; quamuis primæ tonsuræ nondum initiatus sit, is etiam notetur; separatim tamen à Clericis.

Idem præstetur de his, qui ad eandem clericalem militiam educantur, quamuis clericalem habitum nondum susceperint, gestarintve.

In statu Ecclesie & Altarium, immediatè post descriptum nomen titularis, describatur etiam breuiter, si quæ idem Titularis obtinet beneficia, vbiq; ea obtinet, etiam extra Diocesim, vt patet; [ Presbyter N. Rector, etiam Canonicus Varsij, & Capellanus Sanctæ Mariæ de Vicomercato; ] & si alibi habitet, dicatur; ac etiam locus vbi habitat. In fine visitationis cuiusq;, vel Ecclesie insignis in Ciuitate, vel Plebis in Diocesi.

Promulgatio cum ordinatione in congregatione cleri illius, vel ecclesie, vel regionis.

Addat etiam ordinationem generatim de executione visitationis Apostolicæ, & aliarum ordinationum præteritarū. Pœnæ etiam impositionem generatim. Referuationem denique, aliam ordinationem tradendi.

#### Ordo Visitacionis sigillatim.

##### In capite Plebis.

**I**NSERTIO literarum patetium delegationis Visitatoris in exordio actus Visitacionis in capite Plebis tantum: in alijs ecclesijs eiusdem Plebis omittantur.

Mentio in eodem exordio de literis & instructionibus preparatorijs transmissis Vicario Foraneo, & sermone ad populum.

Men-

Mentio de alijs Visitationibus iam antea factis; & per quos; & quo tempore. Lectio literarum patentium delegationis supradictæ.

Exinde subsequuntur ea omnia, de quibus infra in ordine Visitationis Curatæ ecclesiæ; saluo, quòd si in hoc capite Plebis non adest cura animarum, omitantur omnia de animarum cura loquentia; & saluo, quòd in omnem casum locis suis addenda sunt nomina Prepositi, Canoniorum, & officiorum, redditus præbendales, residualesque, cum oneribus, abusibus, & inobseruantijs capitularibus; statutis etiam capitulorum, applicationibus Tertiorum &c.

De curatâ Ecclesiâ.

**M**ittuntur supradicta quatuor capitula.

Fit mentio de receptione in ecclesiâ; & à quibus.

Fit oratio submissa ante Altare maius per Visitatorem in habitu equestri.

Sermo, cum significatione clero & populo per Visitatorem de causis eius aduentus, & eiusmodi.

Secellus in sacristiam; & ibi sumptio cottæ, & stola.

Sanctissima Eucharistia visitetur cum quampluribus luminibus; ordinatio.

Reliquiæ Sacræ cum quatuor vel sex luminibus; descriptio in filcia, quæ Sanctorum Reliquiæ sint, vnde constat de illis; & ordinatio.

Baptisterium visitetur cum duobus luminibus, ordinatio.

Olea sacra, & catechumenorû, & chris-matis, cû duobus luminibus: ordinatio, Sacrarium penes Baptisterium: ordinatio.

Oleum infirmorum cum duobus luminibus: ordinatio.

Et si tenetur domi, descriptio etiam causæ; & que nihilominus describatur hoc loco, quamuis visitetur post domi.

Sacrarium aliud penes Altare maius, vel sacristiam: ordinatio.

Ecclesiâ, an consecrata: & quomodo constat, descriptio; & si extat scriptura, ponat copiam in filo; alioquin ordinatio.

Altare maius, an consecratum; & vnde constat, descriptio; & si extat scriptura, ponatur copia in filo; alioquin ordinatio.

Præterea ordinationes singularum deficientium ex instructione generali.

Si Rector ultra onus Parochiale habet aliquod aliud onus ad ipsum Altare maius ex legato, vel aliter; descriptio; & quæ merces; & habeatur copia legati ponenda in filo; & si non exhibetur, fiat ordinatio.

Si per alium satisfecit; descriptio.

Si non satisfecit, & à quo tempore citra, descriptio, & ordinatio.

Visitatio Altarium minorum singularium, incipiendo à latere euangelij, & fini-endo à latere epistolæ.

Altare Sancti, N. S. si indotatum, & ibi celebretur ex mera deuotione, & de hoc clarè cõstet; dicatur expressè, quòd id fit ex deuotione talis N. Verùm si hæsitetur, an id fiat ex deuotione, vel potius ex obligatione; tunc Visitator vtatur his verbis, scilicet, ex deuotione talis, N. vt ipse asserit: nè describendo simpliciter ex deuotione per talè, quandoq; hæc scriptura produci, vel allegari posset ad se eximèdum ab onere & obligatione: & illo casu fiat descriptio, cuius nomine celebratur; quis Capellanus; qua mercede; & à quo tempore citra, tam ipsi, quam eius prædecessores.

Si dotatum, & mercenarium sit; quærat, & fiat descriptio à quo constitutum fuerit onus; & quæ merces; & per què soluatur, etiam si fortasè per aliquam scholam ad id altare erectam; & habeatur scriptura constitutionis præfata, vt ponatur in filo; & deinde ordinatio.

Si non satisfecit; & à quo tempore citra; descriptio, & ordinatio.

Si dotatum & titolare, vbi titulus ipse fuerit ad dictum Altare, translatus, fiet descriptio, & vnde constat de translatione; & instrumentum translationis ponatur in filo, si haberi poterit; fiat deinde ordinatio.

Si sit, vel prætenditur de iure patronatus, dicatur quorum sit; & nè describendo simpliciter tale beneficium esse de iure patronatus, hæc summa quandoque allegaretur, & iudicialiter produceretur.

ur ad demonstrandum ius & titulum præfens per eum iurispatronatus, de quo tamen aliter non constaret, neque forsitan verè esset: Ideo in descriptione huiusmodi visitatores semper vtantur his verbis; scilicet, de iurepatronatus, vt prætenditur, familiæ de Monetis.

Descriptio semper nomine fundatoris, quale onus, & qua die, & à quo Notario receptum fuerit instrumentum fundationis; & habeatur copia ponenda in filo: vel si erit exhibitæ, & dimissa in alijs Visitacionibus, dicatur; & vbi non exhibeatur, neque fuerit exhibitæ, ordinatio, vt exhibeatur, si haberi potest.

Nomen titularis; & si præfens, vel absens; & vbi; & si residere tenetur, ordinatio.

Si ipse titularis per se, vel per mercenarium satisfaciunt oneri: & quis mercenarius, quæve elemosina ipsi mercenario. Si non satisfaciunt oneri: & à quo tempore citra, ordinatio.

Exhibitio Inuentarij bonorum & iurium stabilium, cum litibus, vsurpationibus, & præfensionibus ad formam præscriptam instructione præmittenda: quod ponatur in filo, & fiant ordinationes opportuna.

Exhibitio Inuentarij paramentorum, quod ponatur in filo; & fiant ordinationes opportuna.

Altare Sancti N.

Confessionalia; ordinatio etiam de loco vbi collocari debent.

Vas aquæ sanctæ, ordinatio.

Pulpitum, ordinatio.

Capla, & banchalia elemosinarum, ordinatio.

Sedilia muliebria, & alia impedimenta, ordinatio.

Vas oleorum pro lampade, & alia indecentia in ecclesia, ordinatio.

Portæ in frontispicio, ordinatio.

Ostia lateralia, ordinatio.

Fenestræ, ordinatio.

Parietes, ordinatio.

Tectum, ordinatio.

Pauimentum, ordinatio.

Sepulturæ, & sepulchra supra terram, ordinatio.

Cœmeterium, & eius seruitutes, & vsurpationes; descriptio, & ordinatio.

Sacristia, Inuentarium paramentorum in filo, & ordinationes de paramentis, de oratorio, fenestris, lauatorio, guardarnero paramentorum, & Archiuio scripturarum; de libro notæ Missarum; de tabellis tenendis in sacristia; de libris tenendis in sacristia.

Adest custodia titularis, vel mercenaria, custos est, N. electus, Inuentarium bonorum, vel notula mercedis est in filo; ordinatio.

Domus Parochialis an ad sit, descriptio, & ordinatio.

Conuocatis fabricerijs exhibuerunt inuentarium reddituum fabricæ in filo; visi sunt libri rationum malè tenti; ordinatio.

Factis calculis repertum est, quod D.N. Theaurari<sup>us</sup> restat debitor de libris & c. ordinatio.

Interrogationes Parocho de bonis, & redditibus, cum vsurpationibus, litibus, & præfensionibus, Inuentarium in folio, & fiant ordinationes opportuna.

Vnio clericatus Sancti, N. eidem parochiali ecclesiæ facta, descriptio, & inuentarium bonorum in filo.

De Missis, & diuinis officijs, descriptio, & ordinatio.

De pertinentibus ad curam animarum, scilicet.

Familiarum numer. summam descriptio.

Libro Rituali, ordinatio.

Libro Baptismorum, ordinatio.

Libro Chrismatum, ordinatio.

Libro Matrimoniorum, ordinatio.

Libro status distinctè singularum familiarum, & animarum Parochiæ, ordinatio.

Registro, seu filicæ literarum Archiepi scopalium, ordinatio.

Libro Registri Bullarum, & edictorum publicorum, ordinatio.

Item de omnibus, & singulis alijs, quæ requiruntur in literis, & instructionibus præparatorijs Visitacionis, descriptio vt infra.

Exhibeat Inuentarium omnium iurium, & scripturarum pertinentium præfate Ecclesiæ, & eius Altaribus, quod videatur in filo.

Exhibeat Inuentarium omnium iurium,

& scriptorum pertinentium prefatae ecclesiae, & eius altaribus, quod videatur in filo.

Exhibeat notam omnium votorum publicorum, & piarum consuetudinū vniuersitatis huius parochiae, vt in filo.

Exhibeat indicem eorum omnium, quae de laicis requiruntur ex dictis instructionibus generalibus, quae listae videantur in filo.

Culpa reperta in Rectore ob non denunciationem inconfessorum, vel aliorum delinquentium.

Processuum singulorum confectio circa delicta laicorum denunciata.

Conuocatio nobilium, & vicinorum, tū simul, tum aliquorum separatim magis probatorum secretō, interrogatio circa vitam, moresq; parochi, & aliorum clericorum, & etiam circa negligentiam in sacramentorum administratione, & circa emolumenta extraordinaria, maxime in funeralibus, Baptismis, & matrimonijs; descriptio in libro processuum, & si quod processu dato etiam iuramento dignum; alioquin sola ordinatio quae ostendat defectum.

Scholae Sacramenti.

**V**isitatio scholae sacramenti, cū eius erectione, regulis, inuentario paramentorū, reddituum, & calculis administrationis; descriptio, & ordinatio.

Visitatio scholae Doctrinae Christianae; descriptio, & ordinatio.

Visitatio si quae alia schola in eadem ecclesia.

Interrogatio Parocho de alijs clericis, & ecclesijs saecularibus, oratorijs, scholis, locis pijs, & Monasterijs, tam viro-ram, quam mulierum intra fines Parochiae existentium: descriptio distincta, praeter listas tradendas ex instructionibus ante transmissis.

Visitatio singulorum de clero in illius parochiae finibus habitantium; descriptio plena in libris particularibus, vel etiam in libro processuum, vt dictum est in Regulis de actus describendis, ac illorum habitationum, cum exhibitione licentiarum, & eiusmodi.

Visitatio domus, & librorum ludi ma-

gistrorum, & eiusmodi scholarum.

Item Bibliotecarum, & impresorum officinarum.

Visitatio ipsarum ecclesiarum saecularium, oratoriorum, ac reliquarum scholarum, & locorum piorum, & descriptio. Descriptio in folijs particularibus, vel etiam libro processuum, vt dictum in singulis actis describendis.

Circa visitationem ipsarum scholarū, & status locorum piorum, aduertatur principaliter.

**A**N auctoritate ecclesiastica erecta, descriptio.

An regulae, & statuta comprobata auctoritate ecclesiastica, descriptio.

An habeant oratorium, vel altare; descriptio, & ordinatio.

An Sacristiam; descriptio.

An Campanile; descriptio.

An celebrare faciant Missas; descriptio.

An habeant paramenta; descriptio.

An redditus: & sub quibus oneribus; descriptio.

An olim visitata; & an reddant rationes administrationis (quae omnino videantur tunc etiam a Visitatore) descriptio: & fiat calculus, ac subscribatur, ac firmetur manu Visitoris, in ipsis libris, vel saltem rogatu Notarij.

DE OFFICIO VICARII in causis Civilibus.

**V**ICARIUS Civilis hora iuridica pro tribunali sedeat, tamen quod ad obseruationem terminorum, quam quod ad prolationem sententiarum.

Causas summarias, & praesertim miserabilium perionarum, & puerum locorum, ac ecclesiarum breui manu; reliquas vero omnes ressecatis superfluis citius quoad fieri poterit, expediat, ad praescriptum reformationis fori Archiepiscopalis nuper facta.

A partibus, & earum procuratoribus pro ipsarum faciliore expeditione, etiam ex suo officio, si expedire videbitur iuramenta calumniae exigat.

Nulla modo se immisceat tam in reseruata soli Archiepiscopo, quam etiam

Vica-



Vicario generali, aut Praefectis seu Visitatoribus generalibus, sine speciali facultate.

Nec quidquam prorsus agat, nisi in pertinentibus ad causas coram eo pendentes, & eorum occasione emergentibus iuxta ipsius facultates, nisi speciatim de mandetur ab Archiepiscopo, seu Vicario generali.

In causis grauioribus examen testium notario non committat; sed per seipsum testes interroget.

Vbi emerferit aliquis articulus spectans ad crimen, facta prius diligentia quae erit necessaria pro expeditione causae civilis, articulum ipsum ad Iudicem criminalem remittat: & si cognouerit illum esse detrimento causae civilis, in ea supersedeat usque ad decisionem praefati articuli, etiam non expectata inhibitione ipsius Iudicis criminalis.

Sententias nunquam proferat in ordinarijs, nisi ad eum delato prius extracta una cum testium depositionibus, ut ne dum merita causarum, verum etiam ordinem iudicium videat: ex cuius omissione in partium litigantium dispensationem tot nullitates facile extant; ut ante ferendam sententiam indemnitati earundem partium prospicere possit.

A quocumque onere, nisi tale sit, quod per definitiuam reparari possit, partem appellentem super reponat, & eas toties quoties necessarium fuerit, audiat.

#### DE OFFICIO VICARII Criminalis.

**I**nvigilet die nocteque super inquirendis & puniendis criminibus: & in illis procedat, tam instante Promotore Fisci, quam ex suo mero officio; delinquentesque repositis poenis afficiat.

In omnibus causis quae ad ipsum adducuntur, reperto crimine, prouideat indemnitati partis, etiam parte ipsa non existente in iudicio, & non petente.

Visitet coniectos in carcerem singula hebdomoda ex improviso; quæratque de illorum necessitatibus spiritalibus & temporalibus; & remoto custode, alijsque ministris, de eorum tractatione

diligenter inquireat; & in quibus emendatione, vel prouisione opus esse inuenit, ipse pro suo officio si potest, remedium illis adhibeat; alioqui procuret sine mora à Vicario generali, vel Archiepiscopo.

Siretiam eius curæ videre, ne collateralis careat debito numero satellitum; & ne quisquam ipsorum extorsionem aliquam faciat; & ne loco ipsorum satellitum alij ducantur; neve illi, & carcerum custos, in ea cura vel decipiatur, vel cum iniuria aut impietate versentur.

Animaduertat seuerè in eos, qui absque licentia accedunt ad Monasteria, & alioquuntur Moniales; eos praefertim, quos in facto contigerit à satellitibus deprehendi in statis locutionis locis contra formam edictorum.

In causis contra clericos notitiam plenam assumat à Visitatoribus & Praefectis.

In primis illius curæ sint, quae pertinent ad diuini cultus obseruantiam dierum festorum, de recta ratione accedendi ad stationes, indulgentias, & orationem quadraginta horarum, & modo quo populus in ecclesijs versari debeat.

Propterea sepe proficiatur ipse illis diebus ad ea loca, & ecclesias; ubi conuersus est populus ex huiusmodi causis; ut suo aspectu & officio terreat petulantia iuuenes, ac mulieres non velatas; corripiatque sepe in facto ipso, tum alias etiam contra eos, ut opus erit, agat.

Eam ob causam etiam praeter Visitatores Portarum, Regionumve, sepe mittat alios, tum Fiscales promotores, Notariosque substitutos; tum etiam collateralem, & satellites.

Sic etiam contra emporia exercentes, & apothecas diebus festis apertas habentes, & venalia exposita in plateis in facto deprehensos, aut choreas ducentes, alijsve eiusmodi profanis rebus abutentes sacris diebus festis, contra praescriptum Conciliorum, & edictorum Archiepiscopaliū, coerceat, & poenas exequatur: idemque etiam circumueat aliquando, & ipse, & alij ut supra. Edicta omnia, & decreta etiam de vitæ & morum honestate in clericos diligen-

ter ekequatur; & in facto corrigat sine mora vagantes, ociosos in plateis, vijs, & apothecis.

Item deferentes vestitum non ad formam: itemq; alios transgressores quoscunq; decretorum.

Visitatoribus etiam sigillatim constitutis ordine auxilium & operam præstet in tuenda ecclesiastica disciplina morum cleri & populi; tum ipse quoq; idem per se curet omni studio.

Conficiat librum, in quo describat nomina eorum qui in carcerem detrusi sunt; diem carceris ingressus; causas pro quibus detinentur, cum adducuntur ad publicam carceris partem.

Cum decernitur copia indiciorum, & cum fertur sententia contra eos, & quando relaxantur; & quibus conditionibus.

Item Indicem omnium, qui nominantur in testes, vel socios criminum; quos librum & indicem singulis hebdomadis legat, ut possit prospicere, nè negligentia, carcerati diutius detineantur, ac ut examinandi ac citandi, examinentur, & eitentur.

Habeat præterea librum, in quo describat summarium, seu substantiam memorialium, & informantium circa delicta quæ traduntur in dies.

DE PRÆCEPTO REFORMATIONUM, & Taxarum fori.

**C**ONSTITVATUR ab Archiepisc. singulis annis vel biennijs ecclesiastica persona, quæ præsit executioni Reformationum Tribunalis forive ecclesiastici, ac præsertim tabellæ de Taxis: eidemque Præfecto Taxarum præscriptarum executio, ac Reformationum omnium Tribunalis observatio curæ sit.

Is Præfectus aliquando ex improviso processus videat, & libros solutionum factarum; ut facilius comperiat, si quid culpæ est in ipsarum Taxarum observantia.

Partibus verò, quas in solutionibus contra præscriptum Taxæ, vel decretorum nostrorum; vel reformationis huius, à Cællario, aut substitutis Notarijs onerari contigerit, restitutionem integram

fieri iubeat; & compellat eos, ad quos spectat; pœnasque in eos notarios delinquentes prosequatur. Archiepiscopo autem præterea nunciet, quoscunq; in hac executione mneri suo quomodolibet deesse animaduerterit.

DE OFFICIO ADVOCATI Fisci.

**A**DVOCATUS Fisci, cum in causis vel criminalibus, vel alijs ut paulò infra suo loco dicitur, ad promotionem Procuratorum, Promotorumve Fisci quomodolibet spectantibus articulis iuris emerferit, intersit: prius & Promotoribus Fisci de meritis ipsarum certior factus, tam voce, quam scriptis eas causas pro veritate & iustitia apud ipsos Vicarios, ac etiam Archiepiscopum, & quoscunque alios, apud quos opus erit, tueatur; & illorum patrocinium suscipiat: memorq; sit in calumnijs cauendis, eorum quæ infra in Procuratoris seu Promotoris Fisci officio edicimus.

DE OFFICIO PROMOTORIS Fisci, & substitutorum.

**S**IT vnus promotor Fisci, Clericus, & iuris, vtriusque Doctor; qui habeat vnum, aut plures socios, vel substitutos, ut Archiepiscopus opus esse censuerit, cum congruo stipendio. Omnes autem ab eodem Archiepiscopo deligantur.

Meminerint verò illi, se esse Procuratores veritatis, & non debere sub eius clypeo innocentes opprimere, vel alijs esse in causâ, ut quis calumnijs fatigetur. Nullam causam promoveant super quacunq; crimine, quam iudicauerint esse calumniosam; sed cum primùm de calumnia constiterit, vel de rei innocentia; ab illa desistant.

Eorum curæ sit promotio omnium causarum criminalium; in quibus cum diligentia dent operam, ut crimina publice vindicentur ad præscriptum sacrorum Canonum.

Ante omnia promoveant omni vigilantia causas fidei.

Causas

Causas inconfessorum, & non communicatorum in tempore Paschatis.

Causas ad cultum diuinum spectantes; ut, de inobseruatione aut violatione dierum festorum, de mala versandi ratione in ecclesijs contra præscriptum constitutionis Pij V. & decreta Prouincialia, Diocesana ve, & edicta Archiepiscopalia.

Causas item simoniæ, sodomiz, blasphemiz, ac concubinitus, ad præscriptum sacrorum Canonum, & constitutionis præsertim Pij Quinti.

Causas eorum, qui beneficia incompatibiliz retineant.

Tum eorum, qui à beneficijs residetiam personalem requirentibus absunt; præsertim à Parochialibus, & canonicatibus.

Ad illos etiam spectat, assistendo causis, fueri libertatem ecclesiarum ab his, qui contendunt in patronatus in illis habere.

Illorum itidem officium erit, cum sollicitudine promouere causas omnes, etiã ciuiles, quæ ex officio tractantur, quamuis etiam assistat pars; præsertim pro executione Piorum relictorum, & bonorum ecclesiasticorum, piorumve locorum usurpatorum recuperatione.

Itidem de causis quomodolibet spectantibus ad mensam Archiepiscopalem, iurare spiritualia, vel temporalia Archiepiscopatus.

Itidem de causis, vbi de ecclesiastica iurisdictione vel libertate tuenda agitur. Inuigilet simul cum Vicario criminali, ac etiam seorsum ab eo, nè collateralis careat debito numero satellitum; neve tam ipse, quàm satellites extorsionem aliquam faciant; ne item loco satellitum alij ducantur.

Liceat Procuratoribus Fisci, testes pro informatione Curiz, & sancti Officij, à seipso etiam citra præsentiam Iudicis, de illius tamen mandato, recipere; & examini quorumcunque testium in causis etiam ad defensionem producendorum, in præsentia tamen iudicis interesse, ac interrogatoria ad causas ipsas scientia Iudici subministrare, vel etiam si Iudici placuerit, ipsos testes interrogare.

Quoscuque etiam reos similiter interrogare, non secus, vt Vicarius ipse in criminalibus, cum ipsius tamen Iudicio præsentia.

Habeant librum, in quo hæc describantur, non secus ac Vicarius criminalis.

Nomina carceratorum.

Diem carcerationis.

Causas pro quibus detinentur.

Tum quo die ad publicam custodiam ducuntur.

Itemque cum decernitur copia iudiciorum.

Cum fertur sententia contra illos.

Dum relaxantur, quibus conditionibus relaxantur.

Indicem testium habeant nominatorum in testes, & socios criminum.

Hos libros singulis hebdomatis legant, vt iam præscriptum est Vicario criminali.

Alium librum habeant, in quo summarie notent reos condemnatos poena, seu multa pecuniaria, qui vsui sit illis, cum inter sunt calculis Depositarij multarum. Item habeant Indicem omnium causarum pendentium, quæ ad suam promotionem spectent, siue ciuiles, siue criminales sint.

Habeantque à Cancellario indices notificationum quorumcunque legatorum, relictorumve piorum, quæ in dies sunt.

#### DE MINISTRIS PIARVM causarum, ac carceratorum.

**C**VM piarum voluntatum executione, ac bonorum omnium ecclesiasticorum defensio, ad Episcopum potissimum spectet; personam ecclesiasticam deligat ex Canonicis ordinarijs Ecclesiz Metropolitanæ, qui protector sit causarum omnium piarum.

Eius curæ sit, vt pijs voluntatibus satisfiat, bona ecclesiarum recuperentur, ac omnia pia loca operave, quoad fieri potest in aliquo non fraudentur.

Habeat apud se Indicem causarum omnium de pijs relictis exequendis, & recuperatione, consecutione ve bonorum iuriumque ad loca ecclesiastica, piave etiam Monialium spectantia.

Præcipuum eius sit officium, speculari & etc.

& inuigilare, ne in aliquo Aduocati, p-  
motores, sollicitatores uel deficiat ab eo,  
quod iniunctum ipsis munus expostulat.

Conuocet saltem semel in hebdomada  
Aduocatos promotores Fisci, ac sollici-  
tatores, eandem causarum, cum quibus  
agat omnia, quæ ad voluntatum piarum  
executionem, iurium predictorum re-  
cuperationem, & consecutionem per-  
tinent.

Promptè audiat ea, quæ in dies tum ab  
his tum etiam à partibus referuntur; &  
quæ prouisione, ac expeditione indige-  
re cognouerit, omni sollicitudine, etiam  
ex officio, ut necesse erit prouideat, pro-  
curetve.

Qua de causa adeat quoties opus erit,  
& Vicarium causarum ciuilium, ac Vica-  
rium generalem, & aliquando Archiepi-  
scopum, seu alios Iudices ad hoc officium  
exequendum specialiter constitutos.

Ipsè partiat omnia negotia causæ uel  
inter Aduocatos.

Protector  
carceratorum

Sit Præterea Protector carceratorum  
vnius ex Canonicis ordinarijs ecclesiæ  
Metropolitane, quæ Archiepisc. libero  
arbitrio suo deligat singulis biennijs.

Eius officium sit, speculari, & inuigilare  
super Aduocato, & Protectore paupe-  
rum; & præfcedo spirituali carcerum, ac  
rursus collateralibus, ac satellitibus, & car-  
cerum custodibus, ne muneris suo vlla in  
re desint, aut quid aliud committant in  
dammum carceratorum.

Solicite propterea inuestiget de cura  
spirituali carceratorum, & rursus de cor-  
porali, de quæ illorum causarum expedi-  
tione, & quomodo cum illis agatur ab  
his singulis ad quos spectat.

Visitet pluries, & saltem bis in hebdo-  
mada singulos carceratos, etiam, qui in  
carceribus secretis sunt, habito consen-  
su Vicarij criminalis, seu cum eius inter-  
uentu, vel Promotoris Fisci, alteriusve  
quem Vicarius criminalis maluerit; si  
id expedire iudicauerit.

Sæpius etiã in hebdomada conuocet Præ-  
fectum spiritalem carcerum; cum eoq;  
tractet ea omnia, quæ ad morum corre-  
ptionem, corporisq; carceratorum ne-  
cessitates, & egestates pertinent; ac pro-  
pto animo audiat etiã ea, quæ in dies ab  
ipso referuntur; & quæ prouisione ia-

digere cognouerit, omni sollicitudine,  
ut opus erit prouideat, procuretve.

Si carceratos ipsos vniuersos, vel singu-  
los, morum disciplina, correctione, mo-  
nitione uel indigere inuenerit, opportu-  
nè aduocet, & corripiat; si alios mu-  
neris suo deesse, singulos sui officij mo-  
neat, excitetq; tum Vicarium causarum  
criminalium, generalem etiam, & Ar-  
chiepiscopum, ut opus fuerit, adeat.

Inter sit verò semper carcerum visita-  
tioni, quæ in singulos menses fiet.

Habeat apud se semper indicem singulo-  
rum carceratorum.

Canonici, tum ordinarius Metropolita-  
næ ecclesiæ, tum alij Collegiatarum eccle-  
siarum Urbis, in quibus à nobis auctori-  
tate Apostolica instituta est præbenda ca-  
nonicalis, canonistalifve; ij omnes pro-  
ratione muneris Aduocati pauperum à  
nobis attributi eiusmodi doctoralibus  
præbendis, præstent omni fide, ac dili-  
gentia officium suum, tam in ciuilibus, quam  
in criminalibus causis pauperum, eccle-  
siarum, piorum uel locorum, quæ vel in  
Archiepiscopali foro, vel etiam coram  
conferuatoribus, & delegatis iudicibus  
in hac vrbe agitantur.

Aduocati  
pauperum ex  
Canonicis.

Vnusq; inter illos sit, qui singulis tri-  
mestribus per vices in orbem carcerato-  
rum in primis curam, & defensionem  
agat.

Præterea quicumq; ecclesiastici homi-  
nes Mediolani commorantes iurisperi-  
ti sunt, eorum vnus semper per vices, quæ  
admodum iam à nobis cum illis actum  
est, vnoquoque trimestri in orbem offi-  
cio Aduocati pauperum fungatur.

Ne autem ex frequenti mutatione Adu-  
ocatorum, causæ dispendium patiatur;  
qui suo trimestri iam functus est officio,  
perseueret nihilominus in Aduocati mu-  
nere, quò ad illas causas, quæ ab illo sus-  
ceptæ, in fine trimestris nondum per-  
fectæ erunt.

Procuratorem pauperum saltem bis in  
hebdomada ad se conuocent, & ab eo  
de omnibus carceratis, præsertim, qui  
in secretis detinentur, edoceantur, ut  
eorum defensionem suo tempore incur-  
bere valeant.

Demum omni ratione diligenter curèt  
pro sui officij munere, ne carceratis,



vel à iudicibus, vel à collateralibus & fatel  
litibus, alijsq; carcerum custodibus gra  
uamen aliquod inferatur:

Ea de causis si quid prouidendum erit,  
adeant quoties oportet, & Vicarium ip  
sum causarum criminalium; & Vicariu  
generalem, & aliquando etiam Archie  
piscopum, vt necesse fuerit:

Aduocati  
pauperu ex  
collegio p  
curatorum.

hinc ad  
de hinc  
ad hinc

Ex collegio Procuratorum, vnus sem  
per per vices in orbem singulis trimē  
stribus quemadmodum promp̄t facere  
susceperunt, Procuratoris pauperum of  
ficio obbeat; transitoq; trimestri, non  
qui sufficitur in eo munere, sed qui fun  
ctus est, is causam inceptas sed non  
dum perfectas prosequatur:  
Eius officium sit, procurare pro paupe  
ribus in causis criminalibus, quoniam Ar  
chiepiscopali foro agitur, siue illi car  
cerati sint, siue extra carceres:  
Vistet singulis diebus carceres: non ta  
men eos qui carcere secreto detinentur  
alloquatur; audiatur, & si quod sit  
Describat in libro accuratè nomina om  
nium qui ad carceres ducuntur, & causas  
eorum detentionis, diemq; quo ad latio  
res carceres remittuntur; & an ante vel  
post prandium.  
Solicitetq; assidue Vicarios; tam pro  
examinibus carceratorum, quam pro il  
lorum expeditione:  
Si viderit aliquem longiori tempore in  
secretis carceribus quam par sit detine  
ri; aliudve grauamen alicui carcerato  
inferri; vel à Iudice, vel ab alijs reme  
dium procuret; tum ipse per se vbi po  
test, adeundo etiam si opus est Archie  
piscopum; tum opera in primis ipsius  
Protectoris:  
Curet, vt omnia apud carceratos inuen  
ta, per collateralium Depositarium confi  
gnentur; fideliterq; custodita eisdem in  
regre restituantur suo tempore.  
Petat, si sibi videtur, copiam iudicio  
rum, tanquam vnus de populo; prote  
stetur que non procedi contra carcera  
tum; nisi data ei copia ad finem; vt si  
reus perfecto examine citra rigorosum  
eam copiam habere voluerit, de quo  
ipsum reum alloquetur, nullum interim  
grauamen irreparabile per definitiuam  
patiatur.  
Omnia tamen aduocatis pauperum, &

protectori carceratorum referat; ac de  
eorum consilio circa reorum defensio  
nes peragat, quæ oportet.

Sit sollicitator omnium eiusmodi causa  
rum vnus ex lectoribus, siue Maecconi  
cis ecclesia maioris ab Archiepiscopo  
deligendus:  
Cuius munus erit, incumbere causarum  
expeditionibus, tam ciuiliam quam cri  
minalium, que ex officio, & ope Aduo  
catorum; & Procuratorum Pauperum,  
piarumve causarum tractantur.

Sollicitator  
causaru pia  
rum & pau  
perum.

Habeat indicem omnium causarum pia  
rum, & carceratorum, quibus ipse ex ma  
dato Protectorum causarum incumbit.  
Habeat etiam Indicem, seu inuentarium  
omnium legatorum, ac piarum volunta  
tum, iuriumve ecclesiasticorum, quæ nõ  
habent integram executionem: & item  
prædictarum prætensionum ecclesiasti  
carum, & laicorum piorum.

Quibus de causis ter in hebdomada, &  
pluries, adeat Cancellarium; & omnia  
quæ de nouo emerferunt, ad prædictos  
indices referat, Protectoribusq; statim  
significet.

Sollicitator  
causaru

Sapius adeat carceres publicos, & à car  
ceratis in illis existentibus audiat liben  
ter eorum necessitates, & quibus opus  
erit, omni sollicitudine & pietate refe  
rat, quibus opus esse iudicauerit.

Adeat Propterea Protectores carceru,  
ad causarum piarum Aduocatos, Procura  
toresve pauperum; & quod agendum  
prouidendumve erit pro carceratorum  
au causarum expeditione, promoueat, a  
gat, excitetve; & quoties opus erit.

Vicarios tam ciuiliam quam crimina  
lium causarum, aliosve iudices adeat.  
**COMMVNIA PROTECTORI  
-BUS, Aduocatis, & Procura  
-TORIBUS**

**V**T autem res diligentius tractetur,  
ij omnes, tum qui obtinent preben  
das doctorales, tum etiam qui ex alijs  
viris peritis ecclesiasticis vices suas Ad  
uocati pauperum tunc agit, conueniant  
semel in hebdomada, vel sæpius etiam  
si opus fuerit, coram Protectore carce  
ratorum, ad sitq; etiam Procurator pau  
perum; ac ibi inter se partiantur cau  
sas

fas vel negotia, aliâq; tractent oportuna, pro pauperum causis diligenter tuendis.

Protector, Aduocati, & Procurator predicti, nullam causam ad, offensionem contra aliquem reum in Archiepiscopali foro, suscipiant; licet extra carceres causa ipsa tractetur.

Ne protector carceratorum, Aduocati, & Procurator predicti, a pauperibus quorum causas tuentur, quidquam, minime etiam, sponte oblatum quouis nomine accipiant, aut ab eorum agnatis; aut ab illis quorum causas tuentur, procurant, agunt, vel sed gratis omnino minus illud obeant.

Neq; etiâ a carceratis diuitibus, quidquam pro patrocinio, curatione, vel accipiant; nisi ex licentia Archiepiscopi, aut Vicarij generalis, in scriptis obtenta.

**De visitatione generali carcerum.**

**V**isitatio generalis carcerum, in qua visitatione ad sint omnes infra scripti.

Vicarius generalis.

Visitatores generales.

Vicarius in criminalibus.

Vicarius in Civilibus.

Cancellarius Archiepiscopalis.

Notarij substituti, qui dant operam pro

cessibus criminalibus.

Protector carceratorum.

Qui ex Canonicis doctorales præbendas obtinentibus pro aduocatione incumbit; tum alter item ex clero pauperum Aduocatus.

Aduocatus Fisci.

Promotores Fisci, & substituti, si qui

Procurator pauperum.

Præfectus carcerum.

Item alij quicumque electi sunt consultatores, vel admissi quouis nomine in con

gregatione hebdomadaria consultationis causarum.

In primis ante tres dies visitationis faciendæ affigatur Tabella ad valuas Palatii, vel ad locum solitum, cum hac inscriptione.

**DIE IOVIS, vel SABBATI, &c.**

**ERIT VISITATIO CARCERVM.**

In loco visitationis conueniant omnes

supradicti; & facta de more oratione, Procurator pauperum habeat præ manibus cedula, in qua descripti sint omnes carcerati, iuxta prioritatem eorum carcerationis, & causæ detentionis; instetq; vnusquemque ex carceratis (exceptis illis, qui pro causa fidei detenti sunt) adduci ad præsentiam visitatorum, etiam ex ijs qui sunt in secretis (nisi Vicarius in criminalibus, Archiepiscopo, vel ei qui præsidet visitationi, probabilem adduxerit causam, vel palam vel secreto, vt magis expedire censuerit, propter quam sic eos retineri necesse sit, nec expediat eos adduci) & admittantur omnes, qui voluerint pro ipsis carceratis audiri, semotis tamen si qui sunt in secretis.

Adducto carcerato, Iudex causæ referat statum causæ ipsius; deinde relato, audiatur, quid quid dicere, voluerit Promotor, & Aduocatus Fisci; & deinde tã ipsemet carceratus, quàm Aduocati, & Procurator pauperum, & alij si qui adfuerint, qui ipsius causam, tueri voluerint, omnibusq; auditis, decernatur à Præside visitationis coram concilio, quid de eo carcerato agendum sit; & scribatur decretum per Cancellarium, siue eius substitutum.

Finita visitatione, Vicarius generalis accedat præcipue ad eos qui adducti non fuerint, curetq; ab eis intelligere, quomodo & qualiter cum eis se habeat custos carceris circa victum & reliqua necessaria; & si aliquo indigeant ipsis carceratis, prout expediens videbit & opus erit, prouidere non differat; alios etiam carceratos, semotis sacellitibus, & custodibus alloquatur, prouideatq; eorum indigentibus, curetq; vt decretum Concilij Prouincialis, quàm huius reformationis, circa spirituale & corporalem carceratorum gubernationem, tum alia ad officium, præsertim collaterale, & satellitum, & custodum carcerum pertinentia seruentur.

Archiepiscopus studeat ipse maximè saltem singulo trimestri officium illud generalis visitationis præstare per se, non autem per Vicarium generalem.



## DE PRÆFECTO SPIRITUALI Carceratorum.

Deputetur Sacerdos Præfectus spiritualis carcerum: cuius officium proprium sit cura omnis spiritualis, & quæ ad mores attinet, tum carceratorum, tum collateralis; & custodum satellitumque præsertim, qui apud carceres commorantur; ac præterea omnis diligentia pro bona tractatione corporali eorundem carceratorum.

In singulis diebus celebret Missam in Sacello carcerum: eam tamen debet Præfectus, ne carcerati inquisiti de hæresi admittantur ad Missam, nec ad sacramenta; nisi de expresso consensu Vicarij generalis.

Dominicis diebus benedicat aquam, & eam illa aspergat singula loca carcerum, & carceratos; sed ex fenestra tantum, quæ in ostio est, sine ingressu carceris, quod ad carceratos, qui sunt in secretis.

Curæ ipsius sit, ut carcerati confiteantur saltè quatuor temporibus anni; videlicet, Natiuitate Domini, in Paschate Resurrectionis, in Pentecoste, in Assumptione B. Virginis Mariæ; sæpius etiam ipsis carceratis id postulantiibus, aut desiderantiibus: quibus statim temporibus accerset sacerdotem alium admodum probatum, qui eorum confessiones audiat; eiq; detur facultas absoluedi à casibus Archiepiscopo reservatis, ut Archiepiscopo videbitur.

Ipsè verò sanctissimam Eucharistiã ministrat ijs, qui parati erunt; & in tempore Paschatis fidem scriptam faciat de communionem cuiuscunque carcerati suis Parochiis.

Saltem semel in hebdomada per se, singulis autem mensibus per alios probatos Sacerdotes ad id ab Archiepiscopo constitutos, concionem habere, aut sermocinari non omittat ad existentes in publicis carceribus.

Idem doceat doctrinam Christianã existentes in carceribus publicis, saltè diebus festis; ac præterea etiam sæpè per hebdomadam.

Curet, ut in singulis carceribus sit sacra imago Saluatoris nostri, vel Beatæ Virginis, & inter illas imago sancti Leonar

di Aduocati carceratorum.

Item libri aliquot spirituales, qui probati sint à Vicario generali.

Curet etiã, ut carcerati in publico carcere existentes, quotidie mane, & vesperi omnes simul canant genuflexi Litanias; & vacent frequentius in die festo orationibus.

Idem inuigilet super carceratorum moribus; & præsertim mulierum, quæ in carceribus retinentur.

Videat, ne carceratis agrorantibus desint, Medicus, medicina, alia ve necessaria curatio.

Attendat præterea, ne in cibarijs carceratis tradendis aliqua fraus committatur; sed illis secundum Romanam provisionem ad præscriptum Taxæ, victum, suppellectilem; & alia necessaria subministrant.

Si in aliquo, quod ad morum correctionem, vel corporis necessitatem pertinet, provideri opus esse iudicauerit, ad carcerum Protectorem recursum habeat.

Hac de causa singulis diebus visitet singulatim singulos carceres publicos, & carceratos in illis existentes distingat alios verò non, nisi ex consensu Vicarij criminalis; queratq; de illorum indigentijs spiritualibus, & temporalibus; ac remoto custode, de eorum tractatione in omnibus diligentissime inquireat.

Carceratorum causas non audiat, neq; in his aliquo pacto se ingerat; sed id minus Protectoris, Aduocati, atque Procuratoris carcerum curæ sollicitudine peritus relinquat.

Sint aliqua loca distincta à carceribus, tuta quidè, sed comodiora, ad usum illorum, qui condemnantur, vel damnantur ad carcerem perpetuam, vel ad tempus, vel etiam quibus extrajudicialiter imponitur huiusmodi sequestrato pro varijs culpis, delictis: nec verò cum eo loci sunt, grauentur impensa vlla collateralis, vel custodis: sed vel aliquis ex charitate inferuiat, vel alia in eam ratio pro necessario seruitio illis impendendo sine eorum impensa; præterquam ratione cibariorum; si modum habeat; alioquin etiã de cibarijs provideatur, vel de applicatione mulctarum, vel denique impensa Archiepiscopi.

De

DE OFFICIO COLLATERALIS,  
& Custodis Carceris.

Collateralis, & carcerum custos, officium iniunctum non exerceant, nisi prius iuramentum ad formam præscriptam præstiterint.

Collateralis neminem capiat sine mandato in scriptis habito à Vicariis, nisi deprehenderit aliquos in flagrante crimine: quo casu ipsos capere possit, & ad præsentiam Iudicis deducere: & ad huiusmodi effectum detur mandatum generale ipsi collateralis seu satellitibus, capiendi quoscunq; in flagrante crimine repositos; & præsertim concubinariorum cum concubina repositos.

Et ubi habuerit mandatū capiendi personas, nihil de bonis audeat auferre, sub pœna furti, & concussionis; nisi à presbyteris, vel clericis deprehensis deferentibus res prohibitas, vel arma: quæ auferre sibi liceat, & depositario consignare, ad præscriptum Conc. Prou.

In ipsa verò captura nemini iniuriam inferat, nec verberet; nisi de fœsionis sue causa, vel aliàs resistentes, & vim facientes, & se opposcentes ne capiantur, & ex eo vim inferre volentes.

Ductum ad carceres, antequam illum in secretis reponat, ab eo auferat quæcunq; apud ipsum reperta, quibus seipsum offendere, aut aliàs quibus tentare possit fugam arripere.

Pecuniæ item quæcunq; & quales, ac reliquæ res carceratis ablatæ, ipso reo præsentem describantur in libro, ac consignentur depositario fori; & cum è carceribus reum ipsum relaxari contigerit, eidem reo restituantur, quæ de iure restitui debent; nec aliquid de his prorsus apud se retineat.

Captos pro iudiciis, ponat semper in secretis, quamuis etiam in mandato id expressè non contineatur.

Denuncietq; omnes statim, cum eos in carcerem detruferit, Vicario in Criminalibus.

Custodis cura sit, ut carcerati omnes qui in custodia publica retinentur, cum Missæ sacrum sit in carcerum sacello inter sint Missæ; iis exceptis, qui de crimine heresis inquisiti fuerint; quos sine expresso consensu Vicarii generalis non

conducatur; illosq; quantum fieri potest, ab aliis seiuictos ac segregatos retineat. Si in aliquo creditor remanserit ipsius carcerati, factò prius calculo cum interuentu Procuratoris pauperum, de rebus carcerati à Depositario eisdem satisfiat. Nè liceat sibi ullam rem in solutū ab ipso reo accipere, nisi ex decreto, & auctoritate Vicarii criminalis: qui Vicarius res ipsas in solutum dandas à peritis personis æstimari faciat; data etiam facultate ipsi carcerato pro eodē pretio in fra aliquod tēpus arbitrio suo recuperandi. Satellites non retineat, nisi quos nouerit in huiusmodi officio & exercitio aptos, nec solitos extorsiones facere; sciatq; pro ipsis satellitibus, si quid in exercitio suo admiserint, teneri ad omnem partem, vel ipsis in carceribus præsentandum.

Nullum genus muneris neq; esculenti, neq; poculenti, neque ipse, neq; Satellites à carceratis; etiam prætextu cuiuscunq; seruitij eis præstiti vel facti, etiā si sponte oblatum, fuerit, accipere sub pœna sustigationis, & etiam trirremium, qualitate causæ & personæ pensatis, ut Iudici visum fuerit audeat, siue præsumat, etiam postquam à carcere quis liberatus vel relaxatus fuerit.

Neque etiam ab aliquo alio qui in carceribus emancipatus fuerit, sit, seu emancipari possit, seu aliorum carceratorum intuitu nomine; sub eisdem pœnis ut supra. Nulla literas, neq; nuncium ad carceratos in secretis existentes, neq; etiam ad alios, si sit id eis prohibitum; neque ab ipsis carceratis ad alios, sub eisdem pœnis deferat, neque deferri permittat.

In casibus in quibus permittitur, diligenter inquirat, ne in illis, aut cum illis (præsertim ad existentes in secretis) transmissis quidquam reconditum sit, per quod ipse carceratus de aliquo moneatur; illudq; repertū statim Vicario deferat. Nè autem à carceratorum, qui in secretis retinentur, agnatis, amicis, alijsve ipsorum curā habentibus prouisionē aliquā accipiat; sed ex cōmuni prouisionē, sine fraude aliqua, ad præscriptum subministret: ijs verò qui in publica custodia positi sunt, omne id quod ab eorum agnatis cognatisve ut supra offertur ipsis



tradendum, sine aliqua diminutione fideliter tradat.

Carceres ipsos tam in die, quam in nocte visitet; & diligenter inspiciat, ne carcerati inde fugam arripere queant; nihilq; in ipsis carceribus dimittat, per quod carcerati ipsi aliquid moliri possint ad fugam arripendam.

Singulis diebus vesperi ingrediatur singulos carceres; in hisq; diligenter inquirat, an ibidem tale sit, vel esse possit, quo ad effectum predictum ipsi carcerati uti possint.

Sciatq; si ab ipsis carceribus culpa sua & negligentia aliquis carceratus fugam arripuerit, se grauissimè puniri debere. Seruet deniq; taxam, quam in tabella prescriptimus seruandà ab ipso; nec maior rem accipiat, etiam à spòte dantibus, sub pœna dupli; ac aliàs pro ratione culpæ grauiter arbitrio Reuerendiss. Archiepiscopi, seu Vicarij generalis puniet.

#### DE OFFICIO NVNCIORVM, seu seruitorum Fori.

**S**INT plures Nuncij in foro Archiepiscopali ab Archiepiscopo probati, q; iniunctū officium fideliter exerceant. Curent omni sollicitudine, & fidelitate relationes quascunq; in termino citationis in officio Cancellariæ causarum actorijs facere: quod si neglexerint, pœna etiam priuationis ab officio, arbitrio Vicarij generalis mulcentur.

Maneant loco certo penes audientiam diebus iuridicis tempore audientiæ per mediam horam antea, pro recipiendis citationibus, expeditionibusve, ac relationibus in termino præfixo faciendis. Caueant tamen, vt si quando aliquos eorum à Ciuitate discedere contigerit, citationum executarū ante discessum relationes faciāt; aliàs verò socio in officio exequendas relinquunt sub eadē pœna. Habeant librum, in quo si contigerit aliquē verbotenus citari, scribant diem, & pro qua die citauerint, si scribere se iuerint; sin autem non, statim in Cancellaria referant actuario citationem ipsam quam fecerint.

In citationibus verò quas in scriptis faciunt, modū in eis prescriptū diligēter obseruent, nihilq; de eo prætermittant.

Animaduertatq; ne citationes, vel rōnitoria, in quibus sit clausula; Quod si commodè in personam exequi nequeat, fiat executio ad domum, vel ad valuas; exequantur per affixionem, nisi prius facta diligentia, de reperiendo personaliter citandum, & eo non reperto.

#### DE OFFICIO DEPOSITARII in multis, & penis, & causis fori Archiepiscopalis.

**S**INT deputati in Ciuitate tres Depositarij honestè & probatè vite: vnus, apud quem deponantur pecuniæ soluedæ ex causa multarum & penarum, qui eas distribuat iuxta prescriptam applicationem Reuerendiss. Archiepiscopi. Alter item, apud quem deposita quæcūque pecuniaria, quæ causarum ciuiliū, vel mixtarum occasione, Iudicis mandato, vel ex voluntate partium quomodolibet fieri contingeret.

Tertius denique, apud quem deponantur omnes, & quæcunq; res auterendæ, tam occasione causarum ciuiliū, quam criminalium, & mixtarum, aut aliàs quomodolibet ad finem subhastandi, vt in casu in quo distribui possint, pijs locis vsupra distribuuntur, vel parti restituantur, vt iuris fuerit: & vbi contingeret aliquid ex dictis rebus subhastari occasione pœnæ vel multæ, pretium habitum ex dicta subhastatione integrum consignet alteri Depositario.

Nè ij Depositarij de familia Archiepiscopi sint, sed vt cōueniētius est, sint extra familiā honestæ vitæ; & vbi commodè possit mulctatum & pecuniarum quomodocunq; depositarij loco, sit a des facta aliqua, ecclesia scilicet, locusve pius Archiepiscopi iudicio, semper ad libitū eligendus, eiusve sacrista, vel alius minister eiusmodi.

Ijdem Depositarij præstent iuramentū ad prescriptam formam, anteaquam exerceant predictum officium.

Habeant suum quiq; librum, in quo scribant recepta, & data. eorū libri sint chartulati, & signati manu Iudicis in principio.

Singulis verò mensibus, vel sepius, prout visum fuerit Reuerendiss. Archiepiscopo, Cancellarius librum deferat eidem.

dem Archiepiscopo ostendum, cum nota totius summa multarum ac penarum applicandarum; ac eiusdem mandato earum applicationes in eodem libro describantur, quæ sicut pijs locis, vel operibus; cui applicationi subscribat Archiepiscopus, explicando singulas summas, tum propterea ipse expediat mandata dictarum applicationum subscribere ab Archiepiscopo vel Vic. generali. Computorum verò rationes eorum Depositariorum videantur saltem singulis sex mensibus coram Vicario generali, adhibitis Canonicis Ordinarijs eccle-

siæ Metropolitanæ ab Archiepiscopo deputandis, ac Promotore fiscali, & advocato pauperum; tuncq; conferantur libri Depositariorum cum libris à Promotore fiscali confectis de multis exactis. Consolidatio computorum describatur in eodem libro tam Cancellarij quam Depositariorum; quæ subscribatur à Vicario, Cancellario, & Depositarijs. Nec Vicarij, nec promotores fiscali, pecunias, quæ multarum occasione solvantur, penes sese, etiam depositi causa afferunt; sed omnes in manibus Depositarij persolvantur.

## P A R S II.

DE CANCELLARIO,  
ET CANCELLARIA

## ARCHIEPISCOPALI.



MAGNA atq; ampla negotia sunt, quæ ad Archiepiscopale huius ecclesiæ Metropolitanæ bene gerendæ rationem atque usum pertinent: eorumq; magnitudo & pondus, magna ex parte sustinetur, & Cancellariæ officio, & persona Cancellarij.

Quamobrem non cuius homini, sed gravissimo viro, vel dignitatem in hac ecclesia obtinenti, vel canonico ordinario, eius curæ officium iam impositum esse, ex antiquis eiusdem ecclesiæ tabulis animadvertimus: vel certe munus ipsum dignitatè olim fuisse, ex Innocentij III. Pont. Max. literis perspeximus.

Nos igitur, & tanti muneris gravitate, & maiorum exemplo adducti, cum de cancellarij persona, tum de eius multiplici munere, hæc ut infra decernimus, instituimus, atque sancimus.

De Conditionibus Cancellarij.

Officium Cancellarij exerceat semper per unum ex Canonicis ordi-

narijs in Ecclesia Metropolitana, liberè constituendum & amovendum ab Archiepiscopo pro tempore, ad nutum ipsius Archiepiscopi.

Deligat Archiepiscopus virum qui Diaconus sit; vel eiusmodi ætatis, ut à die aptæ possessionis intra sex menses promoveri possit ad Diaconatum, & re ipsa promoveatur: alioquin si per eam steterit quominus promoveatur: nullum omnino inde emolumentum quovis nomine pretextuve percipiat.

Studeat Archiepiscopus id muneris committere ei potius qui habeat prebendam Diaconalem, quam alij; & item (si commode possit) ei, qui sacrorum canonum Doctor sit; & per aliquod tēpus in eiusdem Cancellariæ usu & exercitio, aut in huiusmodi officijs fuerit versatus.

Non habeat ille beneficia quæ requirant residentiam personalem, præter ordinariam in Ecclesia maiori.

Sit Notarius Apostolicus, antequam officium Cancellarij exerceat; alioquin nullum Cancellariæ emolumentum percipere possit.

Sit spectatæ vitæ & morum, de quo con-